

2

H

pleni

sum omnes de

um

qui in

guerra alle

ut in ore eorum om

ni

um

nia ut nominum sanctificationis su

ov

nicht in Ab

10

U. g. 17, 9



Q. D. B. V.

EXERCITATIO PRIMA

*Ad***Priorum IV. Libro-**

rum Digestorum selectiores quas-

dam Leges,

*Quam***CONSENTIENTE MAGNIFICO**

Jctorum ordine,

PRÆSIDE

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo ac Consultissimo,***DN. GODOFREDO STRAUSSIO,**

J. U. Doctore & Curia Electoralis, quæ hic est,

Advocato Ordinario,

*Patrono, studiorumq; suorum Promotore etatem
colendo,*

Publico examini submittit,

AUTOR**JULIUS ALBERTUS de ROHR,**

Eqv. Misn.

In Auditorio Jctorum,

Ad Diem XVI. Septembr. M. DC. LXXI.

WITTEBERGÆ,

Literis MICHAELIS METERI.



REVERENDISSIMO, SERENISSIMOQ;

PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

CHRISTIANO

Saxoniae, Juliae, Cliviae & Mon-

tium Duci, Episcopatus Mar-

tisburgensis Postulato Admi-

nistratori, Landgravio Thu-

ringiae, Marchioni Misniae ac

utriusq; Lusatiae, Comiti Mar-

caë & Ravensburgi, Domi-

no Ravensteini &c.

&c. &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

PRINCEPS SERENISSIME, DOMINE
CLEMENTISSIME



*A*ldax omnino molior facinus, qui
tanti Principis augustum nomen,
juvenili opella, nec ab auctoris in-
genio, nec à materie raritate, sa-
tis commendanda, prescribere sustineo. Sum-
mos illos humanarum rerum moderatores non
nisi sceptris, Et quicquid sublime ac splendidum
est, quicquid pro communi egregio divinam
imbuere mentem potest; haud aequè cruda ju-
venum, Et nondum percocta satis meditamen-
ta decent. Et poterat itaque videri mode-
stius domi servare curas meas, aut ad minus
illustra destinare limina, minus ita tua gra-
tia, DOMINE, ac nobilitatus per orbem in-
literas favor causam meam peroraret. Quae
me tam fidentem faciunt, ut Tuam mihi pro-
mittere gratiam, quam nulli unquam literato
denegasti, certissime habeam.

Novit ter-
ra-


rarum orbis, & gratus de prædicat, Aulam
Tuam veram sapientie Scholam ac officinam
esse. Quid mirum igitur si efficacissima qua-
dam, sed blanda vi, eruditorum Conatus,
Magnetis instar, ad se pertrahat, incredibi-
lique amore complectatur? Neque verò à
divino munere Tuo, quo Numinis in terrâ
geris vices, alienam prorsus existimo presen-
tem, quam humillimo offero obsequio, Dis-
sertationem Juridicam. Sistit etenim
compagem Legum selectissimarum, quas
Tui similis Principes Optimi Maximique
in Imperio suo sanciverunt, ad quarum te-
norem etiamnum ditionibus Tuis reddis Ju-
ra, æqui bonique verus Stator atque asser-
tor. Patere igitur, SERENISSIME
PRINCEPS, lucubratiunculam hanc ad
pedes deponi Tuos, in submississimi animi, cel-
sissimaque Domui Tuæ seriò devoti, inter-
pretamentum, offerentisque pietatem cle-
mentissimè respice. Sic de obtentâ Vo-
petuò

ti summâ etatem gloriabor. Servet Te
augustissimum Numen, **PRINCEPS**
AUGUSTE, bono Christiani orbis per-
petuò incolumen, florentem, donec longâ
placidâque senectâ Te rebus exemplum hu-
manis in coelestem aulam recipiat.

Vestrae Serenitatis

Humillimus Servus

Julius Albertus de Rohr.



I. N. J.

LIB. I. TIT. I. De Just. & Jur.

AD Leg. V. Proponit in hac Lege
Jctus Hermogenianus Juris Gentium ex-
empla & inter reliqua Dominiorum di-
stinctionem memorat. At vero dubitari
hic poterat, quomodo Dominia Jure Gen-
tium introducta statuere possit Jctus; cum sub orbis sta-
tim infantiam Dominium omnium rerum primo homi-
num pari à Sanctissimo Numine concessum fuisse, in sa-
cro Codice præclare legamus? Equidem si ad causam ef-
ficentem illius mentem interpretari præsumas, à verita-
tis tramite errabis non parum. Non magis enim dedere
dominia populi, ac ipsam Majestatem, *Hornius de Civit.*
Lib. 2. cap. 1. n. 4. & seqq. Altiora incunabula tam augusta-
rum rerum indaganda & discutienda ritè Jcti verba ve-
niunt. Nimirum postquam Adamum, & ex eo formave-
rat Evam DEUS O.M., ut sustentaretur largiter novum ho-
minum par, concedebat eidem benevolè dominium in
terram & bruta animalia, *Gen. 3, 28.* Et hoc est gratum il-
lud & horrendum DOMINAMINI, sine cujus formula nec
quicquam jure ex bestiis appropriare sibi, vel ad usum su-
um transferre potuissent Protoplasti nostri. Interim actu-
alem dominiorum acquisitionem variè gentium scita &
consuetudines informarunt multis benè modis adinven-
tis, quibus illa actualiter quis nanciscatur. Atque ex hinc est,

A 2

quod



quod non producta; sed distincta Jure Gentium dominia
profiteatur Hermogenianus. Proinde cum grano salis
JCTi intentionem exputare, non tam crudè accipere juva-
bit. Nam & nostra Lex Jure Gentium bella introducta
asserit; quæ tamen verba etiam ita accipienda sunt cum
Magnif. Domino ZIEGLERO, Patrono æternùm deve-
nerando *ad Grot. L. 1. c. 2. n. 4.*: non quod *dispositivè* bella ex
Jure Gentium nata sint; sed *occasionaliter* quod omnibus
Gentibus bella placuerint, postquam sc. malitia hominum
& habendi libido tranquillitatem publicam turbare con-
suevisset. Manebit ergò dominium concessionis Divi-
næ ratione originis & introductionis: juris Gentium dici
potest, quoad modos acqvirendi, conservandi & illud ite-
rum amittendi.

Lex 6. quandam Juris Civilis delineationem sistit;
exponendo, quomodo Juri Naturæ & Gentium aut ser-
viat, aut ab eodem quatenus recedat jus Civile. Sed hic
iterum dubium ex moralibus animum subit: anne jus ci-
vile non servire juri naturali & ita abinde recedere possit?
Sunt enim naturalia jura planè immutabilia §. *ii. J. de J.*
N. G. & C. adeoq; ne jure quidem Civili loco suo moven-
da §. *fin. J. de Legit. agn. Tut.* Sed verò recedit jus civile à ju-
re naturæ, non quidem jubendo aliquid, quod *in se* & sua
natura est illicitum, vel *prohibendo* licitum; sed ex ratio-
ne politica non adstiendo Juri naturæ vi externa aut pœ-
na certa in transgressores statuta. Huc e.g. pertinet, quod
siliustam. uti possit exceptione SCTi Macedoniani, mulier
beneficio Vellejani, item quod ex pacto nudo non detur
actio civilis. Deinde etiam permittit, aut rectius tolerat
nonnulla jus civile, quæ jure naturæ vetita esse videntur,
& quidem ideò, quod conditio rerum humanarum non
ali-

aliter ferat. At vero cum jus civile talia non approbet,
sed toleret tantum & cujusque conscientia, quam ita accu-
ratè Legislator scrutari non potest, committat; ideò eum,
qui fraudulenter in hisce contra jus naturæ agit, ac in con-
scientia injustitiæ convictus est, non absolvit. Exemplum
est in læsione usque ad dimidiam partem veri pretii L. 2.
C. de rescind. vendit. Videatur Dominus Struv. in Synt. J. C.
Exerc. 1. lib. 58.

TIT. III. de LL. & Sct. & c.

Leg. 20. tractate de ratione Legis merè civilis
argumento est, quod Jctus verbo constitutionis non
receptionis, vel approbationis utatur vid. L. 9. ff. de J. & J.
Sensus igitur textus est: quod non omnium, quæ à Majo-
ribus veteribus sc. Romanis in utilitatem publicam sancita
fuerunt, ratio congrua & sufficiens dari possit. Exemplo es-
se queunt quarta Trebellianica, item ex L. Falcidia, Legiti-
mæ liberorum determinatio, Lex Fusia Caninia & c. vid.
Rittersh. ad §. 1. J. de J. N. G. & C. Sive quod ejusmodi pun-
cta arbitraria sint & indifferentia, sive quod Legislator ra-
tionem tali casu mente custodire & quasi sibi reservare so-
leat. Unde fuit nonnullorum distinctio circa hanc Le-
gem inter rationem legis civilis spectatam intuitu legisla-
toris; & à parte nostri. Illo modo ipsam deficere nun-
quam: hoc, non quidem deficere, sed nos latere asserunt
haud pauci. Id utique firmum manet; quamvis impel-
lens in occulto jaceat quandoque; Justitiæ tamen fun-
damentum nunquam destituere debere Jctum, quo
minus legem etiam civilem non impugnare juris natura-
lis præcepta evincere queat, quamvis in nostri juris circulo
in paucissimis utpote concubinato & ad L. 5. §. 1. C. ad L. Ju-
liam Maj. hæsitandum fortè sit. Vid. Magnif. Dn. Ziegler.

d 6

an Grob.

ad Grot. Lib. 2. C. 5. §. 15. de J. B. 7. & P. 5 ad Lancell. Inst. Jur. Canon. L. 4. tit. 4. §. 4. nec non disp. 1. de Jur. Maj. tit. 88. Præter hæc discimus ex hoc textu Leges civiles obligare hæc tunc, etiamsi ratio ipsis subdita fuerit nulla: ut ut generalis Justitiæ sc. ratio reddi semper & possit & debeat; alias non Lex viva, sed legis cadaver foret *B. Meisner. de LL. Lib. 4. Sect. 1. q. 5. p. m. 266.*

TIT. IV. de Constit. Princip. & c.

Beneficia Imperatoris plenissime accipienda esse, docet L. 3. h. t. Ratione ipsius nempe concedentis, cujus mens est, ut privilegium alicui indultum pro sit omnibus largiter modis. Unde est, quod extendantur quandoque privilegia de re ad rem, de persona ad personam, de loco ad locum *vid. L. un. C. si Liber. Imper. Soc. Wesemb. h. t. n. 2. ibiq. Habn.* Modo tamen natura rei gestæ vel negotii contracti aliud non exigat. Hinc si duobus feudum à Principe concessum fuerit, uno defuncto, alter non succedit. *1. F. 14. 2. F. 12. Cap. si duo fratres Conf. Ludwel. Tract. de Success. Feud. cap. 1. §. 4.*

TIT. V. de stat. hom.

Lege 12. traditur, partum 7. mense perfectum nasci. Ratio ponitur in autoritate & testimonio Hippocratis. Ampliatur hæc lex per L. 3. §. ult. ff. de suis & legit. Hered. quod partus initio septimi mensis procreatus pro perfecto atque legitimo etiam habeatur. *Conf. Richter, Dec. 83. n. 23.* Cæterum octimestrem quoque admittendum tradit *Carpz. p. 4. C. 27. D. 14.*

TIT VI. de his qui sui alien. jur.

Lex 6. Ejusmodi facti speciem continet: abest Titius ab uxore sua *Caja* per decennium, quo elapso, reversus anniculum in domo sua invenit, quaritur, num Titii filius esse

esse censeatur? Satis quidem inepte, quod *Bacbovius ad
Wes. tit. de agnosc. & al. lib. n. 4.* scribit, dubitare Ulpianus
in re aperta videbatur. Quod verum, si legem secundum
literam interpretari velis. Nihil verò, quod Ulpiano im-
putes, absurdi suberit, si, penitus ejus mente inspecta ra-
tionem dubitandi *ex L. 1. §. 14. ff. de agnosc. & alendis liberis*
repetas. Dicitur illic: si, uxore denunciante se prægnan-
tem, maritus non negaverit, non suum utiq; illi partum
effici: cogendum tamen alere. Ex qua Lege clarus red-
ditur noster textus. Nimirum uxor marito per decennium
absenti denunciaverat, filium sibi esse natum. Maritus,
quod olim fieri debebat, non reclamaverat vel contra de-
nunciaverat, & ita tacitus ejus consensus præsummeba-
tur: quærebatur hinc, num maritus redux anniculum pro
filio suscipere & alere teneretur? Et respondebatur quod
non; cum quod tali casu certum plane esset filium esse
adulterinum: tum quod *S. C. Ti.* observatio desideraretur de-
mum, quando res erat anceps & dubia, quæ tamen in præ-
sens luce meridiana clarior apparebat. *Conf. Struv. in Syno.
J. C. Exerc. 3. tb. 4.*

In L. 8. reperitur aliqua de patre furioso regula,
quod etiam liberos habeat in potestate. Ratio redditur
duplex: prima est, quod omnibus parentibus competat
patria potestas; secunda, quod non desinant parentes li-
beros habere in potestate, nisi modis consuetis iidem exi-
erint. Extenditur porro proposita regula dupliciter, pa-
trem nempe liberos in potestate habere, non modo quos
ante furorem genuit, sed etiam eos, qui ante eundem
concepti, in furore sint editi: tum quoq; eandem locum
habere, si patre in furore agente mater concipiat. Ratio
hujus ampliacionis illico subnectitur instantiâ desumptâ à
matris

matrimonio. Sicut enim furiosus uxorem quidem non ducere, ductam bene retinere possit; ita eundem liberos quoque in potestate habiturum. Atque quod hactenus Lex nostra de Patre furioso disposuit, idem quoque porrigit ad Matrem furiosam, quæ sive ante sive in furore conceptos liberos procreet, utrinque in potestate futuri illi prædicantur, ob eandem matrimonii permanentis rationem. Quæ etiam facit ut liberi sint in parentis potestate, licet uterque parens furat. Et hoc est, quod matrimonium dicatur continere individua vitæ consuetudinem §. 1. *Inst. de nupt.* & consortium omnis vitæ *L. 1. ff. de ritu nupt.*

TIT. 8. De Rerum Divisione.

L. Fin. suggerit Regulam muros violandos non esse, & in Violatores Capitis poenam sancit. Id quod de muris non Romanæ tantum urbis, sed & alterius cujuslibet accipias velim. Lex nostra generaliter loquitur, igitur generaliter explicanda. Faciunt huc præter nostrum Textum §. 10. *J. L. 8. §. 2. ff. b. t. L. 17. de stat. hom.* Adjicitur porro ratio quod hostile & abominandum sit, cives Romanos, (cujusmodi sunt etiam in municipiis degentes *l. 17. ff. de stat. hom.*) alia; quam per portas egredi. *Vid. Ludw. Exerc. 4. ad Instit. t. 2. sub Lit. H.* Tandem eadem ratio comprobatur Exemplo Remi, qui occisus traditur ob id, quod murum transcendere voluerit, quam vellicat *Bacchovius ad §. 10. J. de R. D. existimans veram fuisse ejusdem necis causam regnandi libidinem, quæ in animum Romuli sese diffuderit. Cui concinit Wissenb. b. t. t. 20. Contradicit Livius lib. 1. c. 6. Florus l. 2. c. 1.* Unius rei plures possunt esse causæ. Hodie in eos saltè poena capitalis statuitur, qui animo hostili transcendendo muros vel portas pacem violant. In ceteros arbitrariè animadvertitur *Carpz. Practo*

*Pract. Crim. p. 1. q. 40. n. 24. ubi & præjudicium subjicit, junge
Berlich. Decis. 7.*

TIT. XIV. de Offic. Prat.

Legem. 3. explicat *Dn. Struv. Ex 4. tb. 25.* Id mihi saltem ex hoc textu noto, malè inde colligi errorem communem jus facere: Siquidem Judicata Prætoris illius putatitii non valent propter errorem; sed propter publicam utilitatem & auctoritatem. Tutius ergò exhinc deducimus, quod gesta à Magistratu vel notario falso, qui publicè pro vero habitus fuit, sint firma *Conf. Zoës b. t. n. 12. seqq.* Id quod extendit *Habn. ad Wesemb. b. t.* ad Episcopos & Prælatos; modo tamen publica auctoritate ad munus per errorem vocati & instituti sint; non verò sibi ipsis illud sumpserint & intrusi sint, *L. 1. C. Ne de Stat. defunct.*

TIT. XV. de Offic. Præf. Vigil.

Dum Paulus *m. L. 3. §. 1.* dicit, plerumq; incendia culpâ inhabitantium fieri, satis inquit, non semper incendia culpâ exoriri. Ita enim eadē dolo & datâ operâ, *Ordin. Crim. Art. 125. L. 9. L. f. §. 1. ff. de incend. ruin. naufr.* lata culpa seu per dissolutam negligentiam *d. l. 9. de inced. ruin. naufr.* culpa levi. *L. 11. ff. de peric. & Commod. rei vend.* levisima argm. *L. 18. Commod. & L. 9. vers. si verò casu. de incend. ruin.* tandemq; casu fortuito *L. 11. d. t.* fieri & accidere possunt. *Conf. Habn. ad Wesemb. b. t.* Ut hinc incendium per se factum culpsum non sit. *Junge Decis. nostr. Saxon. 79.* Sed ulterius quæri poterat, an inhabitator ædium, in quibus exortum est incendium, culpam suam ac domesticorum suorum abfuisse; an verò vicin9, qui damnum sensit, culpam eorum adfuisse probare & ostendere teneatur? Prius affirmat *Carpe. Pract. Crim. p. 1. q. 39. n. 58.* Posterius placuit Serenissimo no-

B

stro

stro Electori Saxonico. *Decis. nov 80.* Nec id quidem im-
merito. Demus enim culpam aliquam præsumtam con-
tra inhabitantem militare; tamen eadem ad condemnan-
dum quempiam ad damni restitutionem hautquaquam
sufficit. Ut hinc agens necesse habeat certi & determina-
ti alicujus culpâ lata, levi vel levisima incendium esse or-
tum, probare *Arg. L. ii. de Peric. & Comm. Rei Vend. ubi conf:*
Busius Groene Weg. de LL. abrog. & cit. ibi Auth: Habn. c. l. Galt.
lib. 2. Obs. 21. n. 4.

TIT. XVIII. de Offic. Præsidi.

Ad Leg. 14. Ælius Priscus furiosus suam interfecit
matrem, quæritur, an & quomodo puniendus? Respon-
det Macer variè distingvendo (1) inter furiosum, qui dilu-
cida habet intervalla; & perpetuò talem, (2) inter furorem
simulatum & verum. Tum verò applicat distinctiones
idem JCrus, quod nempe Ælius Priscus, si perpetuo furo-
re, eodemq; vero laborans matrem interfecerit, de
pœnæ ejus modo sit dissimulandum. Rationem adjicit,
quia satis furore miser ille punitur. (3) Dist. inter pœnam, &
custodiam furiosi, quæ cum in genere tangitur, tum inspe-
cie determinatur, quod etiam necessitate flagitante vin-
culis coercendus ille veniat, eò quod hoc ipsum injustum
non sit: sed & ad pœnam ipsius & ad tutelam ejusdem,
tùm quoque ad securitatem eorum, qui ipsi circa latus
sunt, pertineat. Ex adverso jam insequitur alterum di-
stinctionis primariæ membrum. Si nempe furiosus ha-
beat dilucida intervalla, iisdemq; delictum commiserit &
tunc morbo ejus venia non est danda, sed delictum puni-
endum ad Imperatorem deferendum. Tandem (4) di-
stingvitur inter pœnam delicti à furioso in furore admis-
si, & coercionem culpæ eorum, qui ipsum custodire de-
bebant,

bebant, & illa his impunis abire non debet. Propter elegantem, quæ subijcitur, rationem, quòd custodes furiosis non ad hoc solùm adhibeantur, ne quid perniciosius illi in seipos moliantur; sed ne aliis quoq; exitio sint. Unde demùm concluditur, si hoc contingat, factum furiosorum non immeritò culpæ custodum adscribendum esse, quippe qui negligentiores in officio suo fuerunt. Est hæc L. etiam hodiè perutilis, uti constat ex iis, quæ habet *Carpz. in Pract. Crim. part. 3. q. 145. ubi n. 23 seqq.* addit, quod hodiè furiosus ne quidem ob maleficium antè furorem commissum tempore furoris sit puniendus.

TIT. XXI de Offic. Ei. cui mand. Jur.

In L. 1. ponuntur duæ Regulæ: Prima est: Quæcunq; specialiter lege vel Scto, vel constitutione Principium tribuuntur, mandata jurisdictione non transferuntur. Ex cuius subjecto discimus, quanam dicantur specialis legis concessionis, quæ scilicet magistratui non vi ordinariæ jurisdictionis, sed potiùs ex speciali legis concessione superveniunt. *Conf. Franzk. b. t. n. 24. seqq. Dn. Struv. Ex. 4. th. 66. seqq.* Prædicatum verò nos docet hæc talia mandari non posse. Rationem coherentiæ Prædicati cum subjecto pete *ex Franzk. c. l. n. 25.* Altera Regula est: Quæ jure Magistratus competunt, omninò mandari possunt. Prædicatum planum. Subjectum ita declaramus: Jure Magistratus competere propriè dicuntur, quæ quisq; magistratus ex natura officii sui habet, sive ob id, quod propterea ab initio est creatus. Verbi causa: Prætor ab initio constitutus est ad hoc, ut in urbe iuridicando præseset. *L. 3. §. 37. de O. 7.* Prætori igitur jure Magistratus sui competit & jurisdictionis, & imperium, quod jurisdictioni coheret. *Vide ulterius Vinnium. ad §. 4. 7. de Att. Tut. n. 1.* Ratio verò di-

verſitatis eſt, quod hæc talia tanti momenti, ac lege ſpeci-
aliter conceſſa, non ſint, nec leges hîc præciſè ad perſo-
nam ſingularemq; induſtriam reſpexerint. Tùm verò
redit Jctus ad primam Regulam eandemq; applicat, cùm
in genere ad cujuſlibet Judiciî publici exercitionem, tùm
inſpecie ad vindicationem adulterii ex Lege Julia, neu-
tra etenim mandari poteſt. Id quod porrò idem compro-
bat per exceptionem, quæ confirmat Regulam in caſibus,
non exceptis. Poteſt ſcil. ejuſmodi exercitio in caſu ſal-
tem abſentiæ mandari: ergò in cœteris id fieri non pote-
rit. Atq; hinc fluit differentia hæc parte inter Imperium
merum; & Jurisdictionem, quæ etiam à præſente man-
dari poteſt. Claudat agmen aliud exemplum exercitionis
Judiciî publici, ſi dominus à familia occiſus dicatur. Hæc
genuina eſt Explicatio Textus. Circa quem quoad juſ ho-
diernùm & morum mihi noto ſequentia. I. Ea quæ ſpeci-
alis dicebantur Legis conceſſionis (excepto mero impe-
rio) hodiè ordinariæ Jurisdictioni in eſſe *Dn. Struv. Ex. 4.
zb. 81.* Idq; omnino mandari poſſe *Habn. ad Weſemb. T. de
Jurisd. n. 11. (2)* Merum Imperium nec hodierna conſvetu-
dine mandari poſſe, niſi in dicto caſu abſentiæ & infirmi-
tatis *Ordin. Crim. Carol. Art. 2. Frantz. T. de Jurisd. n. 58.
Winn. Tr. de Jurisd. c. 3. n. ult. Sutholt de Jurisd. Abbor. 406.*

LIB. II. TIT. I. De Jurisd.

In L. 3. deſcribitur Imperium cùm merum, tùm mi-
xtum. Merum & à formali, quod eſt gladii poteſtas, & ab
objecto, quod ſunt homines facinoroſi, & à fine, quæ in ani-
madverſione, & Coercitione ſitus eſt. Ubi vox animadver-
tendi in ſtatu ampliacionis aſſumenda, ut etiam cognitio-
nem, & ſententiæ pronunciationem complectatur. *Habn.
ad Weſemb. Tit. de Jurisd. n. 6.* Adjicitur deinde etiam Syno-
nymum

hymum hujus Imperii, quod nempe & potestas appelletur.
Mixtum Imperium describitur, cum per suum antecede-
dens, quod est Jurisdictio: hæc enim cohæret mixto Im-
perio instar antecedentis: & rursus mixtum Imperium
inest Jurisdictioni instar consequentis. *Habn. ad Wesemb.
b. t. n. 7. Vinn. tract. de Jurisd. c. 7. n. 1. 2.*: Tum à potiore ex-
emplo, quod reponitur in datione Bonorum Possessionis;
quæ eadem ratione etiam Jurisdictionem hic Jctus ad-
umbrat. Jure Saxonico, Jurisdictio in altam s. superiorem,
Ober-Gerichte / Hals-Gerichte / Meineliche Gerichte;
& baslam seu inferiorem, **Erb- oder Nieder-Gerichte**
dividi solet. *Dn. Struv. Ex. 4. tb. 80. Schnob. disp. 2. tb. 2.* Illa
continet omnem graviolem delictorum animadversio-
nem, cum vulneratione sangvinolenta, **wenn es Wun-
den oder Beulen seynd / daraus Wunden werden:** Hæc
causas pecuniarias & leviorum delictorum coercionem
citra vulnerationem *Habn. b. t. n. 8.* **Wenn man braun
und blau / oder blutrünstig geschlagen.** *Berlich. p. 1. Concl.
2. n. 10. seqq.* ubiq; verò hîc ad consuetudines locorum est
sedulò respiciendum. *Habn. c. n. 8.* Catalogum interim
eorum, quæ ad Jurisdictionem altam, & baslam pertine-
re solent, *vid. ap. Carpz. Pract. Crim. p. 3. q. 109. n. 31.*

In L. 7. occurrit in limine subjectum, quod est cor-
rumpens, deinde objectum, cum positivum quod est
edictum perpetuæ Jurisdictionis causa propositum, h. e. gene-
rale, & perpetuum, juxta quod Prætor constanter & ordi-
nariò durante suo Magistratu jus erat dicturus: tum nega-
tivum, quod erat edictum, prout res incidebat, h. e. speci-
alis cujusdam causæ gratia emissum, utpote fiebat in edi-
ctis cõmonitoriis *L. 68. seqq. de Judic.* Porro insequitur ma-
teria in statu Ampliationis, unà cum formali, quod absolvit

B 3

dolus,



dolus. Rusticitati enim & Imperitiæ Prætor veniam indulget *d. L. 7. §. 4.* Deniq; determinatur modus coercendi, qui consistit in actione pœnali, cujus adjunctum insimul, quod popularis sit, attextitur. Cæterum hoc edictum quamvis hodiè non obtineat amplius directò, argumenta tamen inde duci solent contra eos, qui edicta Principum & Magistratum violant. *Wesemb. b. t. n. 13. Echolt. b. t. §. 14.* Pœna verò arbitraria esse solet, pro qualitate admisi. *Bussius ad L. 7. seqq. b. t. Schultz. ad §. 12. J. de Action. Lit. K.*

Ad L. cum quædam Puella 19. Sempronia apud Magistratum competentem e. g. oppidanum suscipit litem, condemnatur ab eodem, postea nubit alterius Jurisdictionis viro, e. g. militi vel studioso, quæritur, an Judicis prioris sententia nihilominus executioni mandari possit? Respondetur, quod sic, adjecta ratione, quia antè sententia fuit dicta. Ampliat deinde Jctus, quod illud assertum etiam valeat, si mutatio fori post litem contestatam ante sententiam evenerit, cum & tùm à priore Judice sententia rectè feratur. Subnectitur deniq; extensio generalis, quod hoc in causis hujusmodi omnibus æquè observandum sit, ubi enim Judicium acceptum est, ibi etiam finiri debet. *L. 30. de Judic.* At enim de modo executionis adhuc quæri poterat? Certum est, si victus Judicis, qui sententiam tulit, Jurisdictioni amplius subjectus non sit, victorem ab eodem literas mutui compassus ad eum Judicem, sub quo victor domicilium habet, vel bona possidet, petere posse. *Gvil. lib. 1. Obs. 113. n. 15. Berlich. p. 2. concl. 29. n. 12. jung. Ordin. Jud. Tit. 39.*

TIT. 8. Qui Satisd. cog. &c.

Analysis L. sciendum 15. succincta hæc est. In pr. ponitur Regula: Possessores rerum mobilium satisdare non
com-

compelluntur. Ratio est, quòd iidem non facile præsumantur latituri, aut discessuri, & si eò temeritatis prolapsi fuerint, creditores facilè in bona eorum mitti possint. Sed ubinam bona oportet esse sita, an in loco Judicii præcisè, an verò sufficit, si in Provinciâ eadem? Distinguit *Wesemb. b. t. n. fin.* inter Judicia Provincialia, in quibus putat necesse esse, ut in Judicii loco præcisè aliquis bona immobilia possideat, alias eum satisfacere teneri; & reliqua, in quibus sit satis, modò quis sub Principe eodem bona immobilia habeat. Sed hanc distinctionem increpat *Carpzov. p. 1. C. 1. D. 3.* cum per Textum in *c. const. 5. v.* Ob er gleich unter dem Gerichte/darvor er beklagt/sonst nicht seßhaftig/tum per *Ordin. Judic. Tit. 13. p. v. s.* So soll es auch hinführo ohne Unterscheid ic. Ut hinc in Judiciis Curialibus aliter non observetur. In *§. 1. seqq. nostræ. L.* determinatur subjectum, quoniam possessores hic rectè dicantur. Quæ ipsa cum abs se satis videantur plana, eadem prætermittere lubens. Illud verò disputari poterat, nam possessor pretiosarum rerum à satisfactione æquè sit relevandus? Existimamus cum *Magnif. Dn. Ziegler. in Not. ad Proc. Tit. 13.* eundem promiscuè immunem pronuntiandum non esse; suspicione enim fugæ omni se liberare haud poterit gemmarius, cum exiguâ eas sæpè capsula omnes asportare possit. Quod si tamen tabernam mercibus benè instructam quis habeat, is omnino à satisfactione erit relevandus, sicut & ille ab eadem est immunis, qui instructam benè Bibliothecam possidet. *Conf. etiam Carpz. p. 1. c. 5. D. 19.*

TIT. 12 De Feriis.

Lex si feriatis 6. prohibet feriatis diebus judicari. Ad-
ditur ratio Prohibitionis, quæ est *Lex, vide L. 1. ff. b. t. L. 2. C.*
eod. hisce diebus Judicium inhibens, ut hinc nec effectus

Judi-



Judicatum sequi possit. Porro annectitur exceptio; nisi ex voluntate partium iudicium exerceatur. Id quod argumento inservit, agere hunc textum de Feriis humanis; Divinis quippe Jus planè dici non potest, ne quidem si litigatores consentiant. *L. 7. C. h. t. junct. L. 5 c. de LL. arg. L. 30. de Rec. Arbitr. Wisenb. h. t. n. 10. Dn. Struv. Ex. 5. tb. 35. Busius ad L. 1. ff. h. n. 2. 3.* Porro in textu subtexuntur effectus à contrariò regulæ ab initio positæ, cum respectu ejus contra quem iudicatum, quòd ille nec iudicatio parere, nec solve- re debeat: tum respectu iudicis, quòd hic illum ad iudi- catum faciendum cogere nequeat. Ratio est, quòd tem- pore feriarum Jurisdictionis Exercitium sit suspensum, indeq; quicquid in causis non exemptis factum fuerit, ex defectu potestatis iudicis non valeat. *Conf. Sebast. Vanti- um Tract. de Nullit. Process. Tit. de Nullit. ex def. Jurisd. Etc. n. 130.*

TIT. XIV. De Pact:

Dum in *L. 1.* adstruitur, nihil tam congruum fidei humanæ esse, quàm quæ inter eos placuerunt, servare, haud obscure consequitur, cum hoste etiam inita pacta sanctè custodiri debere *L. ult. de Legat.* quoniam iidem ho- mines esse non desinunt. *Grot: de Jur. B. & P. lib: 3. c. 19. §. 1.* Quod ulterius comprobatur *Magnif. Dn. Zieglerus ad c. 1. Grot: Pessimè igitur audiunt Concilii Constantiensis Pa- tres, qui Sigismundo Imperatori Autores fuere, ut Johan- nem Huslum, & Hieronymum Pragensem Bohemos con- tra fidem datam infaustis ignibus cremaret. Conf. Wisen- bach: h. t. tb. 10.* Sed quid de perfidis sentis? num & his fides erit servanda? Ita tenet *Grotius c. 1. §. 13.* Quorum facit, quòd etiam maleficis servandam fidem esse nostri statu-

statuunt. *L. 17. de pœn. Wisfenb. b. t. tb. 9.* quoniam juris gentium communionem retinent *d. L. 17. inf.*

In L. 4. pr. supeditatur Conventionis tacitæ Exemplum. Ita fac, inquilinum in conductas ædes mobiles res suas conferre; tùm v. eadem locatori pignori sunt tacitè, etiamsi de oppignoratione earundem inter contrahentes expressè nihil fuerit actum. Sed an ne & Studiosorum libri in Museum illati hypothecæ pariter tacitè subjacent? Equidem specialiter iidem exempti non leguntur, ut hinc merito sub regula *d. L. 4. & L. 4. ff. in quib. caus. pign. l. hypoth. tac.* maneant. *Conf. Wisfenb. b. t. tb. 17.* Ex benigna tñ. Interpretatione excepti dici poterant: cum, quod non minor debeat esse favor illarum rerum, quibus animus hominis, quàm per quas fundus excolitur *L. 7. L. 8. §. Auth. seq. C. Quares pign. §. c.* Tùm quòd tacita hypotheca videatur generalis *arg. L. pen. in quib. caus. pign. l. hyp. tac. in quam non veniunt ea, quæ verisimiliter quis obligaturus non præsumitur. L. 6. de Pignor. conf. Bach. ad Tr. V. 2. D. 1. tb. 4. Lit. b. & Ludw. disp. 16. tb. 2. Lit. 7. Carpz. p. 4. C. 9. D. 5. n. 3.* Planè jure morum si alia bona deficient, in quæ possit fieri executio, nec libris studiorum parcitur. *fac. L. 40. de Re jud. Carpz. p. 2. C. 25. D. 20. n. 7. seq.* Et ita accipienda sententia Coleri à priore opinione Consuetudine Germaniæ esse recessum tradentis *præcess. Executiv. part. 2. c. 3. n. 148.*

In L. 7. pr. distribuuntur ab effectu conventiones, quod aliæ actiones; exceptiones saltem pariant aliæ: Illud præstant contractus cum nominati, qui in suo nomine nudæ sc. conventionis non stant; sed transeunt in proprium nomen contractus, h. e. propter peculiarem, & à reliquis specificè distinctam contrahendi formam proprium etiam nomen sortiuntur. *§. 1. nr. L. ubi & Exempla: Hoc*

G

contra-



contractus innominati, qui describuntur, quod causam habeant, §. 2. b. e. dationem vel factum actuale. Species vide in L. 5. de Prescr: Verb: Exceptiones saltè pariunt conventiones, quoties ejusmodi causa subest nulla. Ita nuda pactio actionem non, sed exceptionem saltè parit, d. l. 7 §. 4. Interim hodiè ex pacto etiam nudo actionem dari inter omnes æqvè constat. confer. Molinam de Just: & Jur: Tom: 2. Tr: 2. disp: 257. Christinaum Vol. 2. Decis: 91. Sutbolt: dis: 12. Apor: 564. Carpz. p. 2. c. 19. D. 17. n. 8. & c. 31. d: 10. n. 9. & p. 3. c. 5. d: 22. n. 2. Wesemb: b. t. n. 9. Wisenb: b. t. n. 35. quo jure non æqvè. Pleriq; doctores pro verò tenent, Jure Canon. ex nudo quoq; pacto actionem pullulare, quod moribus sicut alia penè multa, deinceps fuerit comprobatum. Quam in rem nonnemo 4. Textus affert, quos breviter decurramus: Primus & secundus est in cap: 1. & 3. X. b. t. ubi Papa disertis verbis tradere videtur pacta servari, & ea quæ promittuntur opere compleri debere. Verùm & Jure Civili pacta Servanda Prætor edicit L. 7. §. 7. b. t. quæ tamen actione non ubivis idem tuebatur. Quid? quod & jure civili pactis sua adferatur fides? L. 1. pr. ff. b. t. L. 7. L. 29. C. eod: L. 51. C. de Episc: & Cler: quod ipsum tamen eisdem actionem abjudicat. L. 7. §. 4. b. t. conf: Fachin. l. 2. contro. c. 100. Ut hinc nihil aliud hic quidem loci reperiatur dispositum, quàm quod promissor à pascifcente primùm privatim conveniri, & ad implendam fidem moneri, quam si detractet Ecclesiasticam Disciplinam, ex cõmunicationis nempe fulmen experiri debeat. d. cap: 1. Rem altius & accuratè hic repetit Magnificus Dn. Ziegler. ad Lancell: Instit: Jur: Canon: lib 3. Tit: 3. §. 2. Porro in cap: 1. Juramenti 22. q. 5. quidem traditur, nullum in verbis nostris mendacium esse debere: sed quam tu inde actionem

onem ex pactis dari colligere poteris? Idem namq; &
Civili Jure statutum reperitur. *L. qui alienam 54. de Eviēt.*
Nec dubium est, idem jus civile tutam ejus conscientiam
haud præstitisse, qui pacti religionem temeraverit. Pariter
cum quarto Textu in *Can: puella 20. q. 1.* comparatum
est. Quamvis enim ibidem pacta humana non impunè
calcarì posse memoretur; tamen inde non conficietur a-
ctio: sed potius id vel ad tenerius conscientia vinculum
vel ad pacta legitima referri cum *Magnif: Dn. Zieglero* po-
test. *Conf: Ludwell: ad Wesemb: b. t. n. 8. mf. Schnob: disp: 2. 16.*
26. Eckholt. b. t. 9. Obstinatum ergò sedet, & fixum manet
Jure Canon. actionem ex pacto contra Juris Civilis dispo-
sitionem non esse introductam, adeoq; hac parte corre-
ctionem civilis meritò juris vitandam: quamvis interim
non negamus consuetudine pedetentim invaluisse, ut ex
pacto quoq; nudo actio concedatur.

Intricata Legis Si unus ex argentariis 27. *pr.* sententia
videri equidem poterat. Duo sunt Argentarii, seu Mensu-
larii Socii. Titius & Sempronius; iis certam pecuniae
summam debet Cajus. Paciscitur hic cum Titio de non pe-
tendo, vel in perpetuum, vel ad tempus. Sempronius
nihilominus Cajum convenit de debita sorte. Opponit
is exceptionem pacti Socii, quærebat ista num actori
noceat, & respondebatur, ampliando, quod non
etiamsi in rem fuerit pactum conceptum h. e. in genere,
quod peti pecunia non debeat: Porro additur ratio, quod
saltem sit constitutum, ut solidum alter socius petere, non
autem deteriores conditionem correi paciscendo facere
queat. *L. 39. de Neg: Gest.* Tum verò occurrit Jctus obje-
ctioni, rem simul declarando per instantiam: Nimirum
obverti poterat, quod argentario socio rectè solvi queat:

C 2

ergò

ergò etiam videbatur idem pactione sua socio nocere posse; Sed respondet Ictus neg. connexionem simulq; dando instantiam cum in Genere, Ita enim cuilibet mandatario rectè solvi potest, cui tamen obligationem novare integrum haud quaquam sit: tum in Specie: Si quidem & Filio Fam. rectè solvitur, cui tamen novandi interdicta potestas est. Tandem subnectitur ampliatio textus ad duos stipulandi reos. Cœterum si ita ritè Textus explicetur, nihil facit negotii. *L. in rem 31. §. 51. si duo de Novat.* Quæ aliàs apparens saltem pugna mirificè Ictorum detorsit ingenia, ut etiam *Bach: ad Tr. V. 2. D. 27. Th: 9. Lit: d. Wissenb: Disp: 9. 28. p. 2.* Antinomiã hic statuere non vereantur. Neq; enim ea hîc Pauli intentio est, ut doceat correum novare non posse, sed potiùs quoniam à solutione ad Novationem eidem proximam perpetua ubiq; argumentatio non sit, ideò nec eam, quæ a solutione ad pactum remissorum tenetur, ritè procedere indigitare idem voluit *Conf: Basium ad d. l. 27. pr.*

In §. 3. d. l. 27. Regula primùm ponitur, quod nulla pactione effici possit, ne dolus præstetur, quoniam eadem ad delinquendum invitatur, & bonis moribus adversatur, qualia quæ sunt, ne quidem facere nos posse credendum est. *L. 15. de Condit: Instit: conf: 2. §. h. t. n. 18.* Ut hinc factum impossibile continere dicatur Authoribus. *Vide Magnif: Dn. Ziegler: ad Lancell: lib 3. Tit: 3. §. 4.* & contractibus, quamvis adjectum ejusmodi pactum pro non adjecto habeatur *Dn. Struv: Ex. 6. th. 25.* Tum deinde per modum exempli injicitur distinctio in textu inter dolum futurum quo de pactum interpositum est inane; & præteritum. Ita n. pone depositarium cum deponente egisse ne hic depositi agat; tunc e quidem & de dolo, si qui commissus fuit, deposita-
rius

rius pactus intelligitur. Quæ distinctio in §. sequente 4. clarius adhuc insinuatur; nim. pacta, quæ turpem causam continentur utpote ne furti agamus vel injuriarum si fecerimus, non esse observanda, sed post admisa hæc pacisci nos posse.

In L. *Sumtus* 53. prohibetur pactum de quota litis, quæ *Causidicus* à Litigante litem redimit, seu quo convenit, ut is nomine mercedis certam partem pecuniæ debita in eventum victoriæ accipiat. Quæ cum adeò execranda visa fuerint, ut ejusmodi advocato foro inter diceretur. L. 5. C. de Proc. & eadem *Quintiliano* planè *Piratica* cognominaretur, *conf. Wisenbach: ad cit: Tit: C.* rationem prohibitionis paucis videre lubet. *Vinnius Tr. de pact: c. 18. §. 8.* hanc affert, quod ejusmodi pactio *causidicis* calumniosè litigandi occasionem præbeat, iisque artibus & *Strophis* veritatem oppugnandi, quas homines in foro ac litibus triti vel nolentes addiscant. Quibus superaddit *Hahn. ad Wesemb: n. 6.* quod ejusmodi pactum sit quasi venditio litis, quæ advocatus propriam vel saltem communem causam fovere, indeq; etiam suspicio concussionis subnasci videatur. At verò de *palmario* seu præmio victoriæ pacisci advocatus non prohibetur L. 1. §. *Si cui*, 12. de Var. & extr. *cognit. conf. Carpzov p. 1. C. 1. D. 24. n. 4.* ut hinc mera hic videatur esse *εργολαβία* juxta *Wisenbach. h. t. tb. 41. & ibi cit.* Bona equidem Legislatoris intentio fuit; sed an utrobique advocati, qui decipere mavult, quàm justitiæ, uti debet, Sacerdos esse. L. 1. §. 1. de J. & J. L. 14. §. 1. C. de Judic. fraus hoc ipso coercetur validè, *altioris est indaginis.* Quot poterunt pacta de quota litis *palmarii* mantello regi? Quàm facilè poterunt *causarum* peritissimi legem circumscribere? *arg. L. 3. §. 3. Inf. de SC. Maced.* ut hinc satius fu-

erit, caufarum Patronos confcientiæ fuæ relinqvere, quàm
intra fines ejusmodi anguftiores eodem coarctare. Nam
& lite finita pacifci vetitum non eft de parte residui debiti
remittenda Advocato, ob caufam ipfius Patrocinio & fide
defenfam L. 5. C. de Post: Perez. b. t. n. 5. Idemq; de Salario;
eft modò legitimum non excedat modum. L. 1. §. 10. de
extraord: Cogn. Ludwell. ad Wefemb. b. t. n. 6. Et forte et-
iam Juramento pactum ejusmodi corroborari poterit? Sa-
ne uti Jure Civili hanc in rem quidem non immeritò du-
bitari poterit, propter L. 7. §. generaliter 16: b. t. L. 5. C. de LL.
& L. 1. C. Advers: vend. ita Jure Canon. quæftio omnino
affirmanda eft, ubi quodlibet Juramentum, quod non ten-
dit in perniciem æternæ salutis fervandum esse perhibe-
tur. cap. cum contingat. X. de Jurejur: cap. quamvis de Pact. in
6. Conf. Ludwell. c. l. Bus. c. l. n. 4. Wisfenb. b. t. tb. 26. Id quod
cum hoc moderamine accipit Busfius ad L. 27. §. Pactus ne
peteret 2. si quota non fit ad eò magna, ut valdè excedat de-
bitam mercedem. Cœterum pacto de quota litis æqui-
paratur illud, quod inter medicum & ægrotum initur. L. 9.
C. de Prof. & Med. L. 3. de Extraord. Cogn. Eckolt. b. t. §. 8. quod
iterum non simpliciter rejicit Busfius c. l. n. 5. sed inter ejus-
modi pactum moderatum nullam continens iniquita-
tem, & in honestum seu æquitatem mercedis excedens di-
scrimen inducit.

TIT. XV. DE TRANSACT.

In Legis 3. pr. statim ponitur Regula, quòd pri-
vatorum pactionibus jus alterius lædi nequeat. Ratio ex
communi juris Principio surgit, rem inter alios actam aliis
non præjudicare. L. 1. L. 26. C. b. t. L. 27. §. 4. inf. ff. eod. L. 2. C. Res
inter alios act. al. non noc. Si quidem naturæ, & ipsi gen-
tium Juri repugnat, ut per alterum, alteri iniqua infera-
tur

tur conditio. L. 47. ff. d. R. J. Carpzov. L. 3. Respons. 17. n. 9. Tum
deinde insequitur casus de quo consulti fuere Imperatores
Antoninus & Verus: qui talis est: Titius Testamento
hæredem scripsit extraneum, matre planè præteritâ: mo-
ritur testator; Mater movet inofficiosi querelam Testa-
menti; transigit postmodum cum hærede scripto, quæ-
ritur an hoc ipso Testamentum rescisum, & manumisis
vel legatariis actiones suæ ademptæ sint? Et respondetur,
quod non. Rationem facit præmissa sub initium Regula.
Porro determinatur subjectum passivum in hocce te-
xtu, quoniam illis actionibus conveniri possit, hæres nem-
pe scriptus. Cujus conveniendi rationem binam subster-
nunt Imp. quòd nempe satis sibi caverit cleoneribus hæ-
reditariis heres ut hinc ipsi injuria non fiat, si talibus acti-
onibus pulsetur; Vel etiam si non cavir negligentia sua non
debeat ad alienam injuriam spectare, h. e. alteri iniquam
inferre conditionem; sed potius quod sua culpa sentit
ipse luere damnum L. 203. de R. J. Cæterum generalis illa
decidendi ratio in plura alia etiam patet negotia. Ita,
ut unum saltem referamus, sententia inter solos litigato-
res Jus facit nec aliis præjudicat, L. 15. de except. rei jud.
Quod tamen fallit in casu, quo eadem vincendi causa sub
est. Terminos habiles suggerit Carpz. lib. 3. Resp. 17. n. 12. seqq.

Lex VIII. pr. tractat prohibitam de alimentis testa-
mento relictis transactionem. Cujus sub initium præ-
mittitur impellens causa, cur sc. eadem interdicta fuerit, à
facilitate, seu pronitate, legatariorum ejusmodi ad transi-
gendum petita. Iidem enim inopinato beneficio affecti,
modo etiam tenuioris sortis, quandoq; ad Prodigia-
litatem proclives facilè transigere, & modico præsentis, seu
eò quod cito accipiunt, contenti esse solebant. Sui quasi

mqm



non satis compotes, ut hinc summa potestas iisdem prospicere necesse habuerit, cum ne quis male re sua utatur, Reip. omninò interfit §. *fin. J. de his qui sui, l. al. Jur.* Post hæc subsequitur in textu causa efficiens & Instrumentalis, quæ est Divus Marcus, ejusdemq; oratio quæ in Senatu frequenti juxta morem illius temporis fuit recitata eamq; Senatus Consultum insecutum. *Conf. Vinn. Tract. de Transact. c. 6. n. 2.* Tenor nunc ipsius consulti Senatus est, ne alimentorum transactio rata esset, quàm authore Prætor facta. Optima sanè ratione; quoniam Prætor tanquam bonus vir *L. 137. §. 2. de U. O. L. pen. de Proc. Carpzov. Pract. Crim. p. 3. qu. 116 n. 7.* non permisurus est, ut legatarius istiusmodi in proprium sui detrimentum transigat, vel testatoris intentio exitum haud consequatur. Sicut enim æquitatem Prætor naturalem semper ob oculos habet *L. 1. de Const. pecun. L. 1. de Pact.* ita etiam promovere solet ultimas voluntates & Judicium sequi defuncti. *L. 2. pr. de Bon. Poss. sec. tab.* Hic verò exerit se porrò cum ipsum objectum, quod sunt alimenta scil. futura nam de præteritis transigere licet, *L. 8. C. h. t. Wesemb. b. t. n. 5. Carpz. p. 2. C. 10. D. 31.* tùm modus, quod Prætor authore transactio deum de iis fieri possit. Tandem ipsum subnectitur exercitium hujus Constitutionis, quod nempe Prætor suas interponere partes consuescat, & arbitretur, an transactio, & quæ admitti debeat. Ubi duo potissimum mihi noto: Primum, quod cognitio hæc non fuerit Jurisdictionis Ordinariæ, sed quam nostri dicunt adventitiæ, seu specialis legis concessionis, quoniam mandari non poterat. *L. 8. §. 18. b. t.* Id quod argumentum non leve speciali præbet legis concessionem. *L. 1. pr. de offic. Ei, cui mand. conf. Struv. Ex. 4. th. 67.* Deinde, quò in causa
sa co-

sa cognitionem in hoc articulo venerit? Ubi ante omnia inquirendum in transactionis causam, sine qua nemini dabatur de alimentis testamento relictis transigere deinde in modum & Personam &c. vide d. L. 8. §. 3. 599. & *Vinn. cit. Tr. c. 6. §. 16.*

LIB. III. TIT. I.

Dum in L. 2. §. 3. minorem 17. annis Prætor à Judicii limine repellit, haud obscurè innuit, majorem 17. annis advocati partes obire posse. *conf. Berlich. p. 1. Concl. 9. n. 8. Wissenb. h. 1. n. 3.* Id quod comprobatur cum per rationem, quod Prætor hanc ætatem moderatam ratus sit ad procedendum in tùm publicum per exemplum, concludendo à majori ad minus. Fertur enim Nerva Filius ista ætate aut paulò majore publicè de jure responsit asse Quod si ergò in isto ætatis flore aliquis responsa Juris dare potest, omnino etiam postulare valebit. Memoria enim sensuum revocanda esset ei, qui dare nollet, plus inferre authorem esse Juris L. 3. §. f. de hered. pet. L. 39. de Act. Exempt. vel conditorem esse L. 23. C. de Procur. L. 25. C. de Nupt. Conf. Dn. Struv. Ex. 2. tb. 17. quàm desiderium suum vel amici sui in jure apud eum, qui Jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere, vide L. 2. v. Servius 43. ff. de O. J. Quod Advocatorum munus proprium est L. 1. §. 2. ff. h. t. Colligunt ex hoc textu Dd. communiter majorem 12. annis Doctoris titulo posse insigniri. *Vide Busf. hic n. 1.* Poterat quoque abhinc argui, non necessario 5. annorum spatium in Juris studio decurisse, eum oportere, qui Doctoris insignia anhelet; Nec enim considerandum, quamdiu in studiorum castris, sed quàm laudabiliter quis militaverit. Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis benè vixisse laudandum est. *Can. Gloria Episcopi 12. q. 2. & sæpius*

D diffi-

diffidentia ætatis differtur, quod Consilio maturiore perficitur. *Can. non annis, 32. q. 4. Conf. prolixè Limn. De Jur. publ. Lib. 8. c. 8. n. 37. seqq.*

Ad Leg. 1. §. 5. Sexum quoq; prætor excepit, dum foeminas prohibet pro aliis postulare. Non ergò simpliciter arcet à foro foeminas; sed saltem ne pro aliis advocent edicit, se ipsas ergò defendere in Judicio permittit, cum id defensionis ratio omnibus indulta hominibus efflagitet. *L. 3. de J. & J.* Rationes prohibitionis annectit Prætor duas: Prima est, ne contra Pudicitiam sexui congruentem alienis causis se immisceant mulieres: cum ipsas & honestas, & naturalis pudor virorum cœtibus jungi prohibeat. *Lancell. ad Inst. Jur. Can. lib. 3. tit. 14. §. 11.* Quorsum facit, quod maximum & præcipuum munus sit foeminarum accipere ac rueri conceptum. *L. q. veritur. 14. §. 1. de a. dil. ed. L. 2. c. de inc. iet. viduit.* Altera ratio est, ne virilibus illæ officio defungantur, hinc generaliter in *L. 2. ff. de R. J. c. nunciatur:* Foeminus ab omnibus officiis Civilibus vel publicis remotas, & idè nec Judicis esse posse, nec magistratu ngerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores exstere. Varium enim ac mutabile semper foemina. *Lancell. c. lib. 3. tit. 14. §. 10.* Sed dixeris rationes illas non Catholicas & perpetuas deprehendi. Nec enim omnes Carvania sunt foeminae, non frontem inverecundia omnes obdurarunt, quædam mitioris indolis sunt, ut vel viris exemplo esse possint, Verum jura constitui & oportet in his, quæ ἐπιτο πλεῖστον accidunt, non quæ ἐκ ἀφελόγῃ. *L. 3. de LL.* Et quod semel aut bis existit, leges heores prætereunt *L. 6. eod.* De cœtero locum hunc militare contra Gynæocratiam seu muliebri imperium persuasum sibi habet *Johann. Jac. Wissemb. ad b. t. n. 5.*

Quod

Quod tamen vix putaverim ego. Civiles hic adductæ rationes sunt, in rem augustam planè, qualis imperium est, haud quaquam parentes à Deo Majestas immediatè diffunditur, in Imperantem. *Vide Magnif. Dn. Zigler, nitidis scripto de Regie. Angl. per tot. § cap. ad Rom. 13.* cui dum is Regimen concedit in universos, aptum quoque eidem administrando reddit. *Conf. prolixè & eleganter Job. Frider. Horn. de Civit. l. 2. c. 11. §. 4.* nec non *Lipsum Polit. Lib. 2. cap. 3.* At ultimum illud apprimè advertendum est, permitti fœminis pro Parentibus agere interdum causâ cognitâ, si fortè Parentes morbus aut ætas impediât, nec quemquam, qui agat, habent. *L. 41. ff. Procur.* Quid ergò? anne & maritum defendere uxor in Judicio poterit? Equidem Jure Civili aliena negotia per mulieres non aliter agi possunt nisi in rem suam & proprium lucrum eis mandatæ sint actiones. *L. Qui absentis. 4. C. de procur. Wissemb: ad L. 2. ff. de Reg. Jur. n. 4.* Nihilominus hodie uxori pro marito absente Judicio intervenire permittitur, juxta eundem *Wissemb. ad t. C. De Procur. n. 2* cum propter absentiam sapè quid indulgendum, quod aliàs non permittitur. *Johannes à Sande Decis. Frisic. lib. 1. tit. 5. Def. un.* Quod noviter comprobât *Dn. Brunnem. ad L. 18. de judic. n. 4.* Dubium hic injicit Jus Saxonicum: quippe quo nec ipsæ fœminæ pro se in Judicio agendi potestatem habent, sed omnia per Curatores loqui jubentur. *Tit. 8. Ordin. judic.* Quicquid est eodem etiam jure pro marito absente uxorem in Judicio cum Curatore tamen suo ad litem admitti testatur *Matthias Berl. ch. p. 1. concl. 14. n. 48.*

An L. 2. §. 1. Non omnes, sed eosdemum, qui propter præmium seu quæstus faciendi causa in scenam prodeunt famosos esse, ipsi Jcti h. l. authores sunt, non con-

D2

tem-

temnendi: Interim illa in quatuor Comicos statuta infamia ansam dedit *Wissemb. b. n. 15.* invehendi in Theatra omnia tanquam pietati & honestati contraria. Quod hactenus non ferimus. Impugnat verò idem *Wissembach.* & improbat Theatra omnia primùm ex descriptione Augustini, qui ea turpitudinis vitiorumq; omnium sentinam & Scholam dixerit. Qui quidem sanctissimus Pater vel eorundam abusum ante oculos habuit, vel in specie lascivos Ethnicorum lusus justo zelo perstrinxit, ut generalis hinc Regula fabricari haud quaquam debeat. Illud verò dari plane nequit, quod sæpenumero non sine atroci blasphemia sacrae historiae in ludis scenicis tractentur. Eccur enim prohibeantur Christiani, agitare inter se historias Bibliorum & quanam inde surgent blasphemiae? Equidem ita praelusisse pietati populum Indaicum per juventutem. *B. Lutherus in Proem. ad Lib. Judub: & Tobiam* auctor est. Maximum cæterâ momentum ponit *Wissembach. in loc. Deut. 22. v. 5.* ubi viris vestes interdiciuntur mulieribus Interim loquitur divina Nomothesia de conversatione. Politica, & publica in vitâ communi, ubi sexum à sexu distinctum, esse oportet, ne ignorans forte proximus decipiatur, ad ludos verò Scenicos eadem non respexit. Omnes enim ludos non fuisse prohibitos vel exemplo Davidis, qui coram Domino saltasse *2. Reg. 6. v. 15.* legitur, evinci poterat. Posthac Ethnicos etiam Comœdias aversatos *L. 23. §. 2. de Aur. & Arg. Leg.* haud quaquam evincit, quippe quæ eadem responsionem cum loco Biblico mereatur. Et verò ex *L. 1. C. de spectat. ludi satis* sustinetur. *Conf. Perez. ad d. t. C. n. 2. seq.* Quot fabulae prostant Graecorum? quot ludos illi ediderunt? *Conf. disert. Dan. Heinsii ad Horatii de Plauto & Terentio. Judicium.* Nonne Ro-

mani

mani sub infatiam Reip. Spectaculorum exhibitione mulieres fortiti sunt? Et qui Plauti, qui Terentii, quas fecissent, fabulæ usq; adeò placere potuerint si eæ prohibitæ fuissent? Cœterà Wissenbachii rationes magni adeò momenti non sunt, sed accidentia & abusus passim loquuntur. Nos verò ludos saltem scenicos probamus eos, quibus honestus est propositus finis, vertitur Thema castum, abest levitas ac scurrilitas, quiq; moderatè & tempore iusto instituuntur. *Conf. Philipp. Mel. in præf. ad Terent. v. 1. Disp. 8. tb. 5. Lit. E.*

Ad: L. 11. §. 1. Quod in *L. 1. b. t.* inter alia habetur, mulierem, quæ intra tempus lugendo præstitutum, quod anno circumscribitur, *L. 2. C. de Sec. Nupt.* nupsit, aut Patrem, qui eam collocavit, infames esse, illud in *L. 11. §. 1.* dilatatur, ut etiam procedat, etiamsi maritus sit, quem more Majorum lugeri non oportet, de quo *§. 3. b. l.* Statim adjicit Jctus rationem amplificationis suæ, quod Prætor respexerit ad tempus quo vir eligeretur, hoc est, quo legitimum luctus tempus impleretur seu consummaretur. *Conf. Wissenb. ad L. 1. §. 2. C. d. t.* Nec enim tantum lugeri sed & elugeri ab uxore maritum oportet. *vide Gotthofred. ad b. l. n. 14.* Additur porrò ratio genuina & adæquata luctus illius annui, quæ reponitur in turbatione sanguinis, seu generationis incertitudine. Quod si enim altero fortè aut tertio ab abitu viri mense iterum nubat mulier, & intra luctus tempus pariat; tum equidem incertus est partus, cum non satis constet, ex priori an posteriori marito partus sit editus, ut hinc indubio neutri adscribi, nec ad alterius hæreditatem admitti debeat. *Wissenb. ad c. l. 2. C. de Sec. Nupt.* Fuere igitur Jcti cum Hippocrate in ea opinione, quod superfatatio detur. Id quod præterea *ex L. 30. §. 1. de acq.*

D 3

bar.



ber l.3. si pars her: pet: elici tradit Habn. ad Wesemb: h. e.
n. 5. Inter hæc concurrens ratio est luctus illius annui, ut
marito debitus præstetur honor, siquidem ea sola non suf-
ficit: quoniam etiam liberi summam Parentibus debent
reverentiam & tamen eorum luctus impedimento non
est nuptiis d. L. II. p. 2. Cæterum Jure Canon. abolita hæc
est infamiae poena Cap: pen: & fin. X. de sec: Nupt. eò quòd
secundum Apostolum mulier viro mortuo, sit ab ejus
Lege soluta. 1. Cor. 7. v. 39. Lancell. lib. 2. Imp. Jur. Can. tit. 16.
§. 26. Verum Apostoli dictum haud tollit Jus Civile, nec
sequitur, quia mulier liberata est à lege viri, & nubere
potest cui velit; ergò nubere potest intra annum luctus,
ut etiam præsentis casu sanctiora & æqviora sint legum sci-
ta, quam Canonum. Vide Magnif. Dn. Ziegl. ad Lancell: d. l.
Wesemb. ad ff. h. t. n. 19. Planè in foro Saxonico quamvis
poenae infamiae cæteræq; cessent expressæ in L. 1. C. de Sec.
Nupt. nihilominus non vidua modò, sed & viduus, à votis
secundis intra tempus luctus abstinere jubentur. Sub poe-
na arbitrariæ coercitionis, nisi dispensationem specialem à
Principe impetraverint. Carpz. Pract. Crim. Part. 2. qv. 65.
n. 81. & in Jurispr. Eccles. Lib. 2. Def. 162. n. 5. 6. & Def. 164. ubi
sufficientes dispensationis causas suggerit.

Ad L. 22. Elegantem suggerit disquisitionem L.
ictus fustium 22. anne fustigatio poenam infamiae irroget?
Ubi distingvit Jctus inter fustigationem in se spectatam,
& causam propter quam illa infligitur. Illa per se in fa-
miam non conciliat, hæc verò tum demum si infamiam
importet, utpote si quis ob furtum damnatus fustibus cæ-
datur. Sed anne habes causas quæ fustigationem dicitant,
& tamen famosæ non sunt? Omnino. Ita fac Scholasti-
cum arma contra municipum legem ferre, idq; fustibus
cædi;

cædi; tùm verò causa propter quam cæditur, infamiam
importat haud quaquàm, cum citra eandem municipalem
legem delictum non sit. *Paul. Cantrens. in L. 1 ff. de LL.* Pa-
riter qui ab ædilibus cædi jubebantur, infames non fie-
bant. *L. eos qui. 12. de Decur.* Sed quid hic Juris hodiè? Si
Grœnowegen de LL. Albrog. ad b. l. interrogas; respon-
sum habebis, hodie ictum fustium, & cæteras pœnas cor-
porales importare infamiam, eò quod moribus non tantùm
ex causa, quàm ex genere pœnæ infamia irrogetur.
Quà finè discrimen molitur *Wissenb. b. t. th. 24.* utrùm ratio-
nes Philosophiæ morales spectentur; an verò effectus Ju-
ris quæ cæsus auctoritate rei Judicatæ, quæ pro veritate sit.
L. 25. de Stat. Hom. in infamium numero habeatur. Nec
multùm ab hinc abludit *Carpz in Pract. Crim. p. 3. q. 134. n. 49.*
ubi ita perhibet: *Attamen, quia pœna corporalis non imponi
solet, nisi ex publico Judicio & causa famosa condemnato, ubiq;
fustigatum pro infami regulariter haberi certissimum est, arg.
L. 1. de his, qui not. inf. certè fustigationem hodiè infamie
notam incurrere, nemo facillè negaverit.* Verum enim verò
sicut Grœnevvegen alias leges haud paucas usu in umbra-
tas esse tradit, quæ tamen usque dum vigent; ita etiam in
præsens textum nostrum male inter abrogatas collocat.
Nec enim damus eidem, quod moribus non tantùm ex
causa, de genere pœnæ infamia irrogetur. Unde enim hoc
evincitur? Unde probatur hac parte jus Justinianeum ef-
se mutatum: Habemus igitur hic intentionem ex nostro
jure tamdiu fundatam donec posterius Jus contrarium
monstret, *Carpzov. p. 2 Dec. 101. Dn. Tabor. de Alt. Tant. part.
4. Art. ult.* Tùm verò circa Wissenbach. rationem alla-
tam quoque hæsito, quòd scilicet auctoritas rei judicata eò
operetur: ut sola pœnæ inflictio infamiam contrahat.

Nam



Nam illa primùm angustior est. Quid enim si citra causæ cognitionem legitimam, quid si citra sententiæ dictionem fustibus tumultuariè quis cædatur? quod in Martyribus non semel factum legimus, tum equidem ad rei judicatæ auctoritatem convolari haud poterit? Deinde etiam pone, omnia legitimè circa procesum fuisse observata, & innocentem fustibus cæsum; an re rei judicatæ auctoritas sine mentione infamiæ eandem inuret caso. Non equidem putaverim, quoniam pœna sine delicto injuria est. Est sc. illa noxæ seu delicti vindicta L. 133. §. 1. de V. S. Ubi ergò delictum non est ibi nec vindicta ejusdem. Seu ut moralium Doctores reddunt: Pœnâ est malum passionis, quod infligitur ob malum actionis: *Grot. de Jur. Bell. & P. lib. cap. 20. num. 1.* ut hinc delictum seu peccatum præsupponat, nec pœna insequi possit, ubi delictum antecessit nullum. *Dn. Ziegl. ad c. l. Grot. hinc tradit Wisfenb. ipse, ad L. 207. de R. 7. n. 3.* Regulam illam, quod res judicata pro veritate habeatur, non procedere, si de ejus iniquitate manifestè constet. L. 51. §. 10. de inoff: Testam: vel contra Jus & Constit. expressim sit lata, L. 51. expressim 19. de Appellat. Rursus fingamus aliquem quidem causa cognita & ex meritò fustigatum esse, causam infamiæ verò subfuisse nullam, uti ab initio exempla retulimus, & pariter illa Regula de re judicata infamiam juris haud operabitur. Neq; enim illa aliud infert, quàm rei judicatæ esse standum, cum publicè intersit, lites minui, earundemq; finem aliquem esse. L. quidam existimaverunt, 21. inf. si cert. pet. conf. *Anth. Matth. ad c. L. 107. n. 4. seq.* sed unde elicietur infamia, quæ nec ex causâ ad fuit? Vide L. 8. C. b. t. nec in sententia, comprehensa? certè ictibus subjectus, si nulla præcessit sententia infamiæ maculam irrogans, hanc ipsam

ipsam pertimescere haud quaquam habet, L. 14. C. eod. Conf.
Perez. ad b. t. C. 2. 10. ut hinc fallum fuerit, poenæ genus hoc-
ce perse absq; sententia infamiam inurere uti cum Man-
zio ad b. t. q. 6. non malè iudicat Du. Brunnem. ad b. L. n. 6.
Deniqve Carpzov. traditum ex mera scribentis auctori-
tate consistit. Cui rigori, quoniam iure expressus non est,
sed contrarium textus potius cantant, vix habenda fides
est, sed æquitas potius præferenda, nec tam actus executio-
nis, quàm causa delicti attendenda videbatur Busius ad b. l.
num. 3. Brunnem. c. l. n. 45. Junge Amadeum Eckholt in Synopt.
Pand. Tract. b. t. §. 11. Quid ergo ane cæsi ex infamia sal-
tem facti laborabunt? Ita tenet Franzk. b. t. n. 22. Illud cer-
tum tamen manet eis, qui citra factum suum omne inno-
centes fustigantur, non magis infamiæ affricari maculam
quàm spuris, de quibus vid. Struv. Ex. 7. tb. 20.

De Procur. Tit. III.

Ad L. 33. §. 2. Cernitur hic generalis regula: Absentes
à quibuscunqve defendi, publicè interesse cum ob favo-
rem defensionis L. 3. de b. & b. tum ne reip. magistratus ab-
sentem innocentemqve condemnando peccatum incur-
rant. Ampliatio est, quod & in capitalibus causis defensio
detur. Si quidem in iis se defendere vel perse, vel per
procuratorem nemini prohibitum, vide Carpzov. Pract.
Crim. p. 3. qv. 105. n. 23. Porro insequitur determinatio Ob-
jecti, quod in quibuscunqve causis absens possit damnari,
in iis etiam innocentiam excusantem audiri, æquum sit.
Demum verò comprobatio ex rescripto Imp. in L. 3. C. de
accus. annectitur. Tria abhinc axiomata fluere spontè vi-
debantur: 1. In Criminibus poenam pecuniariam præsti-
tutam habentibus defensio ordinaria admittitur. L. 1. ff. an
E per

per al. caus. Appell. 15. C. de accus. 2. In iis, quæ manet pœna
relegationis vel alia major nec procurator nec defensor ad-
mittitur *l. pen. §. 2. de publ. jud. 3.* in capitalibus ad causas ab-
sentiaæ allegandas omnino defensor admittitur. *d. l. pen. §. 2.*
d. l. 3. C. Ast ita in os obloqui textui videmur præsentis, ubi
innocentiam excusantem audiri, æquum esse disertè tra-
ditur. Discrimen molitur *Bachov. ad Trentl. V. 2. Disp. 26.*
eb. 3. lit. G. inter defensionem propriè & impropiè di-
ctam: Illam dicit merita causa respicere, & eandem
distingvit in ordinariam & mero jure concessam; & ex-
traordinariam, quam admitti, non tam juris quàm huma-
niratis ratio svadeat: Hanc verò, quæ tantùm concernat
allegationem causarum absentiaæ, ut sententia differatur
d. l. pen. Atq; hinc pro voce *innocentiam* in textu nostro *Cujac.*
Gotbofr. & alii rescribunt *vid. Wisenb. b. t. n. 18.* *absentiam*, eò
quòd non innocentia, virtus, diligentia; sed vitium, culpa
excusari dicantur, Consentit *Carpzov. in Pract. Crim. lib. 3.*
q. 105. n. 29. per l. 10. §. 13. de publ. jud. q. n. 42. seq. Regulam,
quod in causis Criminalibus rei absentis procurator, seu
defensor ad merita causæ non admittatur, multis argu-
mentis comprobatur. Cæterum increpat correctionem
textus noviter *Dn. Brunnem. ad b. l. n. 3. §. 4.* de quo pun-
cto fortè in conflictu. Illud tamen indubitatò relinquitur
sententiam *Wisenbach.* & *Carpzov.* usu esse receptam.
vide Raucbb. p. 1. q. 7. n. 22. Zanger. de except. p. 2. c. 8. num. 112.
Exceptionem suggerit *Schultz. T. per quas pers. ag. pos. lit. B.*
in Patre, qui non solum ad absentiam Filii excusandam;
verùm & ejus innocentiam ostendendam admittatur,
quam in rem simul præjudicia allegat; quamvis idem Pater
partes filii accusati in planè se suscipere ejusq; procurator
existere tali casu nequeat juxta trad. *Carpz. in Pract. Crim.*
p. 3. q. 105. n. 77. seqq. *Tit. V.*

Tit. V. De Negot. Gest.

In L. 2. formatur Regula: quicumq; absentis & ignorantis negotia gerit, & culpam & dolum præstare debet: De hoc res est expedita; quia in contractu omni dolus præstari debet l. 27. §. 3. de Pact. l. 29. §. 2. pro Soc. Struv. Ex. 6. tb. 25. De culpa controversia ingens. Pleriqve culpam levem hic adstruunt vide Arum. Ex. 15. tb. 11. Treutl. V. 1. D. 10. tb. 5. lit. D. Franzk. b. t. n. 29. seqq. & noviter Dn. Brunnem, ad b. L. 11. Qvos juvat eximiè, quod culpa simpliciter posita de levi intelligatur. L. 5. §. 3. de in Lit. Jur. At enim verò negotiorum gestorem regulariter culpam etiam levissimam præstare teneri, cogunt nos credere & textus & ratio. Equidem in L. 25. C. de usuris Mater etiam filia negotia gerens diligentiam omnem præstare jubetur, adeoque & culpam levissimam: quippe quæ diligentia summæ contradistinguitur. L. si merces 25 §. 7. Locat. vide Wisenb. ad L. 29. ff. de R. J. n. 8. faciunt huc L. heredes 25. §. non tantum 16. fam. Erisc. L. 1. §. 4. de O. & A. argumenta inde deducta lege ap. Vinn. ad §. 1. J. de Obl. quæ ex qf. contr. nasc. n. 3. Ratio verò illa militat, quòd negotiorum gestor offerat seipsum, & rebus alienis sine mandato se immisceat, qui autem se offert, levissimam ille præstare cogitur culpam. L. 1. §. 35. Depos. Ludwell. ad §. 1. J. de obl. quæ quasi est contr. nasc. quod ipsum comprobatur in sequens in textu exceptio: Sed proculus, interdum etiam casum præstare debere &c. quæ argumento inservit præclarè, regulam in se comprehendere culpam omnem: ubi enim casus tantum excipitur, ibi culpa omnis præstari adsolet, L. 1. §. 4. de O. & A. Nec quicquam facit, quod culpa absolutè posita de levi exaudienda veniat L. 5. §. 3. de in Lit. Jur. siquidem id perpetuum non est, & quandoq; etiam culpam dicit omnem. § 7. J. de Leg. Aquil.



L. 44. ff. eod. *Wisenb. disp. 39. ad Instit. t. b. 6. conf. Ludw. ad S. 1.*
J. de Obl. qv. ex contr. nas. Bacchov. ad Treutl. V. 1. Disp. 10.
t. b. 5. Lit. D. Erasm. Ungep. Exerc. 12. qv. 8. Porro in Textu ex-
ceptio pramissa determinatur, & exemplis illustratur,
quod quandoq; casum etiã fortuitum prestare teneatur ge-
stor: Si nempe novum negotium, quod non sit solitus ab-
sens facere, quis nomine ejus gerat, veluti venales novitios
coemendo vel aliquam negotiationem ineundo. Nunc
attexit effectus novi ejusmodi negotii suscepti. Itus per
distinctionem; quod sc. damnum inde emergens, gesto-
rem, Lucrum verò absentem Dominum sequatur. Ad
ultimum se exerit casus medius & dubius, si in quibusdam
lucrum factum sit, in quibusdam damnum, quod tunc
pensari lucrum cum damno debeat. *Conf. Brunne-man.*
ad b. l. n. 2.

Ad L. 30.

Titius ad emendam siliginem s. frumentum com-
munitatis curator ab ordine constitutus subcuratorem
minore potestate gaudentem & illi parere jussum acce-
pit: hic Siliginem forte, lolium vel arenam admiscendo
corrupit, unde pretium ejusdem curator afflitum, h. e.
minutum fuit, ut inde damnum haberet ipse, nec tanti i-
terum vendere posset: idem Curator etiam pretium justum
conventus ab ordine restituere coactus fuit, quarebatur,
quã actione curator contra subcuratorem experiri possit &
consequi id, quod causa ejus cepisset, s. sensisset damnum?
Respondet Julianus ex loco comparatorum, eidem contra
subcuratorem non secus ac tutori contra curatorum,
Magistratui adversus collegam actionem negotior, gesto-
rum dandam: modo fraudis non fuerit conscius, ut hinc
non

non tam manus manum hic lavet, quam cuneus cuneum
trudat.

Tit. VI. De Calumniatoribus.

Ad L. 5. Delicta quamvis suos debeant tenere auto-
res *L. 22. C. de Pœn.* sunt tamen casus, quibus etiam heredes
ex delicto defuncti tenentur. *Vid. Carpz. Pract. Crim. p. 3.*
qv. 131. n. 77. seqq. quorum eximius *m. b. l. 5. pr. refertur*, ubi
actio de calumniatoribus, quæ ex delicto dubio procul est
in heredes, quatenus ad eos pervenit, transire statuitur.
Cujus exceptionis annectitur ratio, quod turpia lucra sint
extorqvenda heredibus. Deinde se dat ad manum distin-
ctio decisionem suggerens inter extinctionem ipsorum
criminum, quæ morte reorum contingit: & extorsio-
nem turpis lucri, quæ heredes quoque participantes gra-
vat. Quam in rem subtexuntur exempla, utpote, si ob
falsum, vel Judici ob gratiosam sententiam aliquid datum
fuerit, tunc illud omninò & heredi extorqvendum venit.
Adjungenda nunc quidem esset brevis declaratio §. 1. aliàs
satis obscuri *L. n. 5.* Interim, cum eundem dilucide expli-
cuerit *Dn. Struv. Ex. 7. ad ff. 1b. 60.* & etiam edicti hujus pœ-
na non obtineat amplius hodiè, sed si qua occurrit calu-
mnia interesse peti & pœnæ arbitraria infligi a soleat. *Vid.*
Mevium. p. 2. Dec. 209. Struv. c. l. Cujac. 7. obs. 5. § 13. ad alia
jam pergere placet.

Lib. IV. Tit. II. Quod met. caus.

Ad L. 8. §. 2. Timor quidem infamiæ edicto, quod
metus causa non continetur; cum sine causâ legali infam-
is nemo fieri possit. *Bachov. ad Tr. V. 1. D. 11. ff. 4. lit. A.* in-
terim factum turpe metus admixtum crimen habens

E 3

omni-

omnino hanc actionem procreat. Exemplum est in L. §. 2. h. t. si nempe dederit, ne stuprum patiatur vir vel mulier. Adjicitur ratio, quod metus iste viris bonis major, quam mortis esse debeat. Cæterum ex textu nostra juncta l. 1. §. 4. ad L. Cornel. de Sicar. conficit cum aliis Schnobel. Diss. ad ff. 1. th. 9. ob defensionem pudicitiae alterum etiam interficere licere, eò quod vita & fama pari passu ambulent vid. Clarim in Pract. Crim. §. Homicidium n. 26. Minus rectè. Comprobata enim in uno aliquo singulari non faciunt absolutè æqualia. Vita & fama longè discrepant: illa ablata non reparatur: hæc verò in præsens non aufertur re verà, & si auferretur, restitui facile posset. conf. Carpzov. p. 4. c. 10. D. 6. Neque ergò hic idem præjudicium. Vix movet I. L. 1. §. 4. quippe, qui ad casum, quo aggressio pudicitiae, altero resistente, in aggressionem corporis degenerat, restringendus venit. Bachov. ad Tr. V. 1. D. 1. th. 4. lit. c. optima sanè ratione. Pudicitia enim moraliter considerata est bonum animi, quod nulla vi extrinseca, si animus benè communitus est, eripi potest. Quod si ergo non sit qualiscunque pudicitiae invasio; sed violentia vires accepit, & ad prostrationem corporis aut alia processit, tum corporis invasio defensionem ejusmodi sustinebit. vid. Magnif. Dn. Ziegler. ad Grot. lib. 2. cap. 1. §. 7.

Ad L. 13. Ex textu hoc communis illa ducitur regula: Neminem in causa propria sibi ipsi jus dicere posse. videamus anne illa quandoque fallat? Communis exceptio reponitur in Principe. Ita enim Antoninus in causa ad fiscum pertinente judicasse L. 3. de his quæ in Test. del. & Tiberius quoq; de causa hereditatis servo suo relictae cognovisse legitur L. 14. de Hered. Instit. Interim rectius fortè fecerit Princeps, si causarum suarum definitiones arbitro-

bitrorum fidei ac religioni committat, vel ejus cognitio-
nem in delegati Judicis arbitrium conferat. *Perez. ad t. C.
ne quis in sua causa jud. n. 3.* Quicquid sit multis in locis
inveterata consuetudine receptum, ut Principes etiam
contra subditos in suorum Cancellariis actiones inten-
tent. *Gail. Lib. 1. obs. 1. n. 18. Carpz. Lib. 2. Resp. 14. n. 10.* Dehinc
hodie etiam Nobiles in propria sibi causa judicare viden-
tur, dum subditos suos coram prætore & Scabinis conve-
niunt, vel assumpto Notario Jurato ipsi de causa cognoscunt
*Vid. Ordin. Process. tit. 2. §. Ob wir euch wohl. Carpz. p. 1. R. 87.
n. 22. 23.* At qui & magistratus cujuslibet est æstimare, utrum
sua sit jurisdictio. *L. 5. L. 2. §. 6. de Judic. L. 2. §. 1. si quis in Jur.
voc. non ier. & jurisdictionem suam violatam vindicare L.
un. Si quis jus dic. non obtemp.* Quinimò & privatus in valus
si aliter periculum effugere nequeat, aggressorem inter-
ficere potest. *L. 4. L. 45. §. Qui cum aliter ad 1. Aquil. L. 3. de J.
S. 7. & quod adversarius in nostro fecit, cum jus facien-
dum non haberet, recidere, L. quemadmodum 29. de i. ad
L. Agl. L. 27. ad de Serv. P. U. Wisfenbach. ad E. O. Ne quis in
sua caus. judic.* Sed ane adulterum deprehensum inter-
ficere marito vel patri licebit? Ita quidem jure Civili sta-
tutum reperitur. *L. 24. ad P. Jul. de Adult. L. 20. 22. 32. eod.*
Sed id hac parte juri naturali non congruere notat *Magnif.
Dn. Ziegler. ad Grot. Lib. 2. cap. 1. §. 7.*

Ad L. Si Mulier 21. §. 5. Metu coactus hereditatem
adiit, quæritur an heres efficiar. Resp. quod sic adjecta ra-
tione à principii actionum humanarum petita, quod
quamvis si liberum esset noluissem; tamen coactus volue-
rim, i. e. licet involuntaria hæc actio dici posset, ratione
principii externi urgentis; cum si absque illo metu fuif-
sem, non aduissem hereditatem: Voluntariè tamen aduis-

se

se cenſeor, ratione tum finis, qui fuit maioris malitatis evi-
tatio, tum principii interni ſeu voluntatis, quæ obligari
elegit. *Conf. Dn. Ziegler. ad Grot. lib. 2. cap. 11. §. 7. Dn. Struv.
Ex. 8. tb. 8.* Simile exemplum eſt in §. fin. *J. de R. D.* in iis
qui in tempeſtate levandæ navis cauſa res ejiciunt, ubi pa-
riter actio mixta cernitur *jung. Vinn. ad c. §. fin. n. 1.* ſed ergo-
ne ideò voluntas cogi poteſt? Diſt. inter volitionem i-
pſam: & actum voluntatis imperatum, qui mediante alia
potentia exercetur, velut eſt ambulare, loqui, qui actus,
quo minus exercentur, impediri per violentiam poſſunt.
Vid. Wiſenb. b. 1. n. 12.

Tit. 13. De Dolo malo.

Ad l. 1. §. 3. Continet hic §. diſiſionem doli in malum
& bonum. de quo primum hic ſibi notat JCrus existen-
tiam quam in Veterum teſtimonio comprobat. Eſt ſcil.
vox doli ex genere, *πῶν δόλων*, quæ ambiguum habent ſigni-
ficationem & in bonum ac malam partem accipiuntur,
uti fama facinus, Tyrannus, factio venenum &c. *L. 3. §. 2.
ad L. 2. 36. de V. S. Plaut. in Trinum. Act. 1. ſc. 2. Aul. Gellius.
Lib. 17. Noct. Attic. cap. 9. Wiſenbach. b. 1. n. 28. Colleg. Arg eod.
n. 4. Zoef. b. 1. n. 1. atq; hinc Homerus:*

Sive dolo ſeu vi manifeſta clamve palamve,
Florus etiam lib. 1. c. 3. tradit: Horatium addidiſſe ad virtutē
dolum. Quamvis ergò dolus & fraus plerumq; coincidant
& ut plurimum in malam partem ſumantur, etiam in legi-
bus noſtris *L. 13. de R. I. L. 1. 2. c. b. 1.* latè tamen acceptum
vocabulum quamcunq; notat occultationem veri. *Magn.
Dn. Ziegler. ad Grot. Lib. 3. cap. 1. n. 6. junge Ludovic Moli-
nam de J. & J. tom. 2. Tract. 2. Diſp. 293 n. 1.* Porro descri-
bit JCrus dolum bonum, quod ſit ſolertia in re ſc. licita ad
hone-

honestum finem adhibita *conf. Habn. b. l. n. 4. Struv. exerc. 8. ob.* Deniq; calum intensivum per exempla adjicit Ulpianus demonstrando, contra quos potissimum hoc sit dolo utendum: Contra hostes scil. atque latrones, unde Virgilius.

Dolus an virtus quis in hoste requirat?

Exerceri autem iste dolus bonus contra hostes solet, per stratagemata *Dn. Ziegler. ad Grot. c. l.*

Ad L. II §. 1. Tractat hic §. de Subjecto relativo & correlativo negativo hujus actionis. Ita enim liberis & libertis contra Parentes vel Patronos actio doli non conceditur. Adjicit rationem J. C. tus, quod illa sit famosa. Jam verò quæ actiones Parentis Patronique opinionem apud bonos moratosq; onerant contra eosdem intentari nequeunt. *L. 4. §. 16. de dol. mal. & met. except.* Ampliat J. C. tus nec humili adversus eum, qui dignitate excellit, ejusmodi actionem dari debere; quæ exemplis statim illustratur, utpote, quod non detur plebejo adversus consularem receptæ autoritatis, nec luxurioso atque prodigo aut aliàs vili adversus homines vitæ emendationis. Demum occurrit J. C. tus objectioni. *Quid ergò?* quasi dicat quid fiet, anne harum personarum dolus aliis nocebit? Contra *L. Electio 26. §. fin. de Noxal. Act.* Anne dolus ipsis suus proderit. contra *L. 5. pr. Si quis caut. jud. sist. caus. & c.* Tum verò respondet idem distingvendo inter dolum ipsum, qui impune illis personis abire non debet, & modum eundem vindicandi: quæ ratione contra easdem non doli mali actio intentanda venit: sed potius in factum verbis temperanda, ut non doli, sed bonæ potius fidei mentio fiat, *vid. L. II. inf. Conf. Scotan. in Exam. Jurid. b. t.*

Qu. Quid ergò de hisce person. & c. Perez. ad b. t. C. n. 10. for-

F

201



mulam lege apud *Sichardum ad L. 5. C. b. t. n. 8.* Ast quid nunc ex hoc textu ad fori usum transferre poteris? Primum ex eodem sustineri poterat sententia *Matthæi Berlichii p. 1. Conclus. 74. n. 10. seqq.* liberos parentum suorum bona arrestare non posse, statuentis, cui quidem contradicit *Carpz. p. 1. Const. 29. D. 28.* Interim ejus rationes partim saltem civiles, partim vix adæquatæ num sufficientes sint & ipsi reverentiæ paternæ derogare valeant, adhuc dubitare licuerit. Dehinc ex mente nostræ Leg. fluit, quod contra Dominum seu seniore actionem famosam instituere nequeat *Vasallus 2. F. 24. §. Item si delator 2. F. 33. §. Similiter & c. Schnobel. Disp. Feud. 8. lb. 3.* A libertò enim ad vasallum argumentum frequens & probabile *Ludwell. in Synops. Feud. Cap. 14. p. 289.* quamvis non perpetuum *Mynsinger. Centur. 4. Obs. 91.*

Ad L. Quod si deferente 21. Titius à Cajo petit centum taleros ex mutuo & Chirographum perditum existimans aliisque probationibus defectus in præsens, Cajo defert juramentum, hic jurat eandem pecuniam se non debere (*vid. §. item si quis 11. de Action.*) & absolvitur; postea chirographum reperitur atque ita perjurium manifestum redditur, quæritur an contra perjurum actio & quæ detur? Hanc in rem diversæ Jurtorum allegantur sententiæ. Labeo enim existimavit, dandam de dolo actionem, qui rationem forte, quæ hic dubitandi esse potest, posuit in illo vulgato, quod suus nemini dolus prodesse debeat, sed omnem hic ei, quo postulante juratum est, denegant actionem *Pomponius & Marcellus*, quorum rationes decidendi sunt, cum quod per jusjurandum sit transactum *L. 2. L. 18. inf. de jurejur.* jam à transactione non sit recedende

dendum L. 10. C. de Transacti: cum eandem ratam haberi
 publicè interfit L. 17. L. 37. L. 40. C. eod. tum quod stari
 religioni debeat. Ergone ideò impune pejerare licebit?
 Ita videbatur dicendum ex L. 2. C. de R. C. quam senten-
 tiam latè defendit *Carpzov. in pract. Crim. p. 1. q. 46. n. 21.*
seqq. Sed loquitur in isto textu Imperator Alexander
 saltem de accusatione perjurii publicà, interim non ne-
 gans, esse quasdam pœnas perjurii & extra ordinem ac-
 cusari perjuris posse. Ita enim eosdem fieri infames elo-
 quitur d. L. 41. C. de Transact. Uti ipse *Carpzov. p. 1. C. 14.*
D. 6. n. 3 confitetur. Deinde & hoc abunde constat ipsos
 mox dignitate spoliari, mox fustibus cædi, cantant L. 13. §.
F. de Jurejur. L. 28. §. F. eod. L. 22. de dol. L. pen. C. de dignitate conf.
Wisfenbach. ad L. 2. C. de Jurejur. Atque hinc perjurìa puniri
 posse non solum à judice Ecclesiastico, verum etiam à se-
 culari ex *Bœrio Decis. 305. tradit Magnif. Dn. Ziegler. ad*
Grot. Lib. 3. tit. 1. §. 3. Quod jure morum expeditum est,
 quo arbitrariè coërceri perjurium indubitato potest.
Carpzov. p. 4. C. 47. D. 6. n. 5. 6. & ibi alleg. Exceptis duo-
 bus casibus, quo abscissionem digitorum patitur perjurus,
 nempe si relegato contra præstitam Uhrphedam reversus
 fuerit & pecuniæ vel alterius lucri causa, quo id in suum
 commodum cedat, pejeraverit *Ordin. Crimin. art. 107.*
seq.

TIT. IV.

In L. 16. §. 4. Asseritur contrahentibus in pretio em-
 ptionis venditionis naturaliter licere se circumvenire.
 Quod quomodo accipiendum sit, non convenit inter In-
 terpp. Nos vocabulum licere ad permitti, & naturaliter

ter ad id quod recepti moris est, interpretamur, ut sensus sit: Eiusmodi conventionem passim intergentes & homines permitti nec ullum contra proditum esse remedium in eum, qui pacto uti nec conscientiae rationem habere velit. Id quod comprobatur *Grotius lib. 2. de J. B. & P. cap. 12. §. 26. loco sacro 1. Corinth. II. v. 14.* ubi Apostolus docet viro turpe esse comam alere, cum tamen id neque repugnet naturae & multos apud populos usitatum sit. Circumventio igitur naturalis non innuit hic ipsum jus naturae, uti nonnulli cavillantur; sed potius industriam negotiativam, qua venditor rem suam carius vendere, emptor vilius emere contendit. Unde cum *Franzk. tit. de Contr. Empt. n. 231. seqq.* Dist. inter forum exterius civile & interius juris Divini s. conscientiae. Illo circumventio ista licita hic, publica sanctione, modo ultra justipretii dimidium non procedat, prohibita non est, *vid. Ziegler. ad c. l. Grot. & ibi cit. Arum. eum.* Hoc deceptio ista illicita & peccatum involvere videtur; cum negari non possit, huiusmodi in casibus a medio Justitiae, quod aequaliter & secundum proportionem Arithmeticam ab utroque extremorum distat, recessum fieri *Franzk. c. l. n. 235.* Quorsum spectant quae prolixè tradit *Covarruvias Tom. 2. Var. Resol. libr. 2. cap. 1. n. III. seqq.*

Ad L. 29. pr. Titius Pater idemque tutor filii sui minoris Sempronii e. g. vendidit rem minoris vilius, naturaliter circumscriptus idque animadvertens, curatorem minori eidem constituit, quæritur an iste nomine huius restitutionem petere possit? Et respondetur quod sic. Adjicit rationem *Nobilis. Dn. Brunnemann. ad h. l. n. 1.* quod minor ita non restituatur adversus patrem, sed contra patris

trifactum, ne obftet l. 2. C. *Qui & advers. quos &c.* Verum dubito num distinctionem hancce toleret c. l. 2. C. Cum eadem in omnibus honorem Parentibus factum testumque præstandum esse jubeat, nec ullo unquam modo adversus parentes in integrum restitutionem concedat. *Conf. Colleg. Arg. b. t. tb. 74.* ut hinc sanctionem nostram unam ex novissimis, quibus Justinianus veteres controversas decidit esse, non malè adstruat *Perez. ad tit. C. Qui & adversus quos n. 4. Junge Wisfenbach. b. t. ff. 22.* ibi contraria quædam discutit atque componit & *Decis. Saxon. 68.*

In L. Auxilium 37. §. 1. disertè traditur, minorem in delictis utique atrocioribus non mereri restitutionem. Unde *Carpzov. in Pract. crim. p. 3. q. 143. n. 66.* hanc conficit Regulam generalem: Minores regulariter mitius puniri non debent. Exceptio in textu subtextitur, nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem produxerit, quod potissimum evenit, si non data opera sed per ignorantiam aut culpam delictum aliquod commiserit minor l. 1. 2. C. *Si advers. del.* e. g. si minor fœmina errore juris matrimonio contracto incestum jure civili commiserit d. l. 2. Atque etiam in furto, adulterio, homicidio aliisque delictis voluntariis & dolo malo commissis miserazione ætatis à Judice pœna mitigari potest l. 13. 16. §. 3. de Pœn. l. 108. de R. J. l. 1. §. 32. ad S. C. *Silan. l. 31. ad L. Corn. de fals. Colleg. Arg. b. t. tb. 52. seqq. Wisfenbach. ad c. l. 108.* Quamvis ergo Judex non quidem præcisè cogatur, ut minoribus temperet pœnam; uti quidem statuit *Prosper Farinac. part. 3. oper. Crim. q. 92. n. 103.* eidem tamen arbitrium mitigandi hic pœnas haud quaquam est ademptum. *Carpz. c. l. n. 82.*

*TIT. VI. Ex quibus causis Majores 25. ann.
in integr. restit.*

In L. 1. promittit Prator se restitutum in integrum, si qua justa tibi causa videatur: Quæri hinc potest, utrum majores ex capite ignorantia adversus præscriptionem 10. 20. l. 30. annorum restitui possint? Affirmat *Sfortias Odeus de Restit. in integr part. 1. quest. 8. art. 9. n. 45.* eamque sententiam usu forensi esse receptam tenet *Fachinaus lib. 1. controuv. cap. 69. & Nobilissim. Brunnermann. ad L. 1. ff. h. t. n. 3. cum ibi cit.* Verum contra disertos juris textus in l. 3. & 4. C. de Præscript. 30. annorum l. fin. & auth. male fidei C. de præscript long temp l. un. C. de usucap transform. conf. *Bachov. ad Treutl. V. I. D. II. th. 17. lit. A.* Quod usum fori attinet obvertimus *Fachinao* cæterisque auctoritatem *Matth. Wesembec h. t. n. 10. Carpzov p. 2. Decis. 115. n. 2. 3. 4. Dn Richterip 1. Decis. 21. n. 68* ubi ex *Consult. Saxon. p. 2. qv. 56* adducit: Daß sich die Schöppen- Stühle verglichen die restitution etiam ob justam ignorantiam wenn es über 30. Jahr/ Jahr und Tag oder auch über 40 Jahr ist nicht zu zuerkennen/ weiln unzehlige Hadersachen darauß entstehen würden *Job. Köppen. obf. 92. lib. 1. n. 9.*

Ad L. 28. pr.

Enunciatur hic per ampliationem, quod etiam ex causa probabili quandoque restitutio indulgenda, si nempe laudabilis ea fuerit, *vid. Struv. Ex. 8. th. 71.* Exemplum ponitur in studioso absente, supponunturque termini habiles, si nempe is forte procuratorem ante abitum reliquerit & is interea temporis decesserit. Ratio restitutionis

nis illicō subtextitur, ne studiosus decipiatur per justis-
simam absentiaē causam. Quis enim eorum non miserea-
tur, qui amore scientiæ exules facti, de divitibus paupe-
res semet ipsos exinaniunt *Auth. Habita c. Ne fil pro Patr.*
Hoc punctum igitur studiosorum privilegia sapit, quæ
Imperialis clementia variè auxit, utpote quod liberi iidem
sint ab exactiōe tributorum ac vectigalium, pignoratio-
nibus & repressaliis non possint onerari habeant suos pe-
culiāres magistratus &c. *d. Auth. Carpzov. p. 4. c. 9. D. 5. n. 3.*
Et fusè Limnaus de Jur. publ. lib 8. cap. 9. Quæ ipsa tamen
amittunt studiosi, si quinquennio Academiis abfuerunt
l. 2. & 3. C. de Comment. Perez. ad cir. tit. Cod. n. 5.

*TIT. VIII. De Recept. qui arbitr. recep.
ut sent. dic.*

In L. 3. §. 1. Infit Jctus per occupationem, neminem qui-
dem à Prætorē cogi recipere arbitrium, eò quod susceptio arbitrii
sicut libera facultatis & extra Jurisdictionis necessitatem posita
h. e. ad quam per potestatem magistratus nemo adigatur: Interim
si quis semel arbitrium susceperit, illud eundem sollicitè expedire
debet. Distinguitur itaq; inter arbitrium suscipiendum: & su-
sceptum: Illud voluntatis: hoc necessitatis est. Inde prodit re-
gula communis: quod ab initio est voluntatis ex postfacto neces-
sitatis redditur. Adjiciuntur rationes posterioris distinctionis
modo datæ membri. Prima est petita à fine reposito in utilitate
publica, cujus interest, litium aliquem esse finem *L. 10. C. de Trans-
act. (2.)* à bona fide deceptionem excludente. Cum enim partes
fiduciam magni reponant in arbitro eumq; quasi bonum
virum elegerint, ut causam controversam disceptaret & ex-
cuteret; Illam etiam falli non oportet. (3.) Ab iniquo quod
suppositis terminis habilibus hic injicitur. Pone enim par-
tes Sempronium arbitrum elegisse, coram eodem etiam unum
vel

vel alterum litis astum fuisse exercitum ipsunq; secreta & me-
rita causa penetraffe, deinde verò vel amicitia vel favore alteru-
trius ductum vel pecunia & muneribus corruptum deprecari ul-
terioris litis agitationem sententiæq; dictionem: tum verò (quod
remedium hic attexitur) æquissimum erit, Prætorem interponere
se h. e. adigere eum, ut officium, quod in se recepit, impleat. Sed
quomodo Prætor coget arbitrum? Potest mulctam in eundem
statute L. 32. §. 12. b. t. Nisi tamen fortè subsit iusta excusationis
causa vid. L. 13. §. 2. l. 15. L. 3. §. f. L. 32. §. 1. eodem. Quæ omnia etiam
hodiè quin obrineant non video quid obftet. Conf. hanc in rem
etiam Carpzov. p. 1. C. 1. D. 14. n. 2. & in Process. tit. 1. art. 1. n. 61. Petr.
Rebuff. ad Constit. Reg. Tract. de Arbitr. & Arbitrat. art. 1. Glos. §.
n. 7. p. m. 557.

At L. 7. pr. Traditur hic paradoxum aliquod, ignominiosum
etiam arbitrum esse posse & tamen modo in L. 3. §. 1, vir bonus
arbitr. salutabatur. Cui accedit quod infamis Judex esse non
possit L. 12. §. 2. de Judic. Colleg. Arg. h. t. ff. 5. Ergone ideò infam-
is etiam vir bonus audiet? Sed benè habet. Ratio diversitatis
subest haud parva. Arbitr. privata conventionem constituitur.
L. 1. §. t. b. t. indeq; sufficit à partibus eundem pro viro bono agno-
sci & approbari. Conf. Johann. Corasium ad L. 2. ff. de Offic. Asses.
n. 5. Frantzk. h. t. n. 14. inf. Judicem verò publica auctoritas munit
Zoëf. h. t. n. 13. Struv. Ex. 4. r. 50. Cui cum reverentia debeatur
per L. 1. §. 5. de Postul. integræ ipsi famæ esse oportet. Adeò ut
etiam Judex jam constitutus si notetur repelli ab officio possit
L. 12. C. de Dignit. Lib. 12. vid. Magnif. Dn. Zigler. ad Lancell. Lib. 3.
tit. 1. §. 25.

Ad L. 17. §. 6. Calustalis est: Litigantes compromittunt in
Titium & Cajum, hi etiam arbitrium recipiunt, postea verò sen-
tentiam dicere recusant fortè amicitia vel sordibus ducti, quæri-
tur an Prætor eosdem possit cogere ad dicendam sententiam. Ra-
tio dubitandi est, quod res sine exitu sit futura. Quamvis enim,
si plures sint dati arbitri majoris partis sententia prævaleat. b. §. L.
27. §. 3. b. t. at tamen si vota sint paria neutra valebit sententia d. L.
27. §. 3. init. L. 38. §. 1. de Re Jud. Id quod in duobus semper even-

curum

curum timebatur propter naturalem hominum ad dissentiendum
facilitatem h.e. quoniam homines ex corrupta sui indole facile
dissentire assolent. Quæ ratio illustratur à contrario, quod in
pluribus imparis numeri tecus res se habeat, ubi major pars con-
cludat. Sed nihilominus affirmatur quæstio. Ratio decidendi
desumitur partim ab usu, qui utroque inspicitur & præferri debet *arg.*
§. 4. Proam Inst. partim ponitur in temperamento, quod hac parte
suggerit Prætor. Quod si enim duo illi arbitri convenire de sen-
tentia nequeant, coacturum Prætor eosdem promittit, ut tertiam
eligant personam cujus sententia stetur. Ast quid si circa ter-
tium iterum dissentiant compromissarii? Tum verò ipse Judex
quempiam eligere poterit. *Petr. Rebuff. ad Constit. Reg. Tract. de*
Arbit. Glof. 2. n. 7. Melius itaque erit, ut compromittentes ab initio
tertium adjungant *Franzk. h. t. n. 26.*

Ad L. 32. §. 4. Titius arbiter electus suscepto arbitrio fit sa-
cerdos, quæritur an adhuc tanquam arbiter sententiam dicere te-
neatur. Responderetur quod non. Rationes desumuntur partim
ab honorifica Sacerdotis persona, partim à majestate DEI, cui
Sacerdos dicatur, partim ab ipsa occupatione cultus divini. Cum
enim Sacerdotes ad celebranda & peragenda sacra sint constituti.
Vid. Dn. Zigler. ad Lancell. Lib. 1. tit. 22. n. 7. §. 5, ad eos quies, oratio
& manuum labor, non autem causarum spectat cognitio, *Cap. de*
present. 16. q. 1. Lancell. in Instit. Juris Can. Lib. 3. tit. 4. §. 3. Cæterum
in fin. §. distinguit J Ctus inter arbitrium ante Sacerdorum dela-
tum: & postea susceptum, quo casu Sacerdos arbiter factus omni-
nò sententiam ferre debebit: Cum insuper habito suæ personæ
decore officium arbitri in se receperit, quamvis altera adhuc à
cultu divino petita militer ratio. Id tentari poterat in Theologos
Consistoriis assidentes nostris in causis Ecclesiasticis compromit-
ti hodiè posse, cum judicent simul iidem in ejusmodi causis *vid.*
Carpzov. in Procesf. tit. 1. Art. 2. n. 8. seqq. Jam verò arbitria ad mo-
dum judiciorum redacta sunt, *L. 1. h. t.* Et licet olim Judex ordi-
narius arbiter fieri non potuerit *L. Sed si in servum 9. §. Si quis Ju-*
dex h. t.; tamen Jure Canon. id mutatum videtur *cap. 5. 7. C.*
10. X. h. t. quamvis & jus civile inferiores Magistratus, qui cogi à
Præ-

G

Præ-

Pratore poterant, arbitros esse non prohibuerit *L. 4. ff. h. t. vid.*
Dn. Zigler. ad Lancell. lib. 3. tit. 4. §. 2. confer. Carpzov. p. 1. C. 1. D. 15. n.
7. 8. qui in Magistratum saltem tanquam arbitratorem, compro-
mitti posse adstruit. Conf. Rebuff. c. 5. loc. Gl. 2. n. 4. Busius ad L. 9. h. t.
Dn. Struv. Ex. 8. tb. 99. Illud moribus nostris expeditum est quoad
processum abbreviandum compromitti coram Judice ordinario
posse. Adeò ut si is semel aditus fuerit, vix in alium compro-
*mittatur, ne Judicis ipsius integritas suspecta reddatur *Ordin. Ju-**
dic. tit. 1. ubiq; Not. Dn. Zigler. Id quod etiam tantum non exsertè
*habet *Carpzov. in Proc. Tit. 1. Art. 1. n. 55. dum præclare perhibet**
partes ita convenire posse, ut summariter sine libello, litis con-
testatione, cæterisq; solemnibus, solis discussis causæ meritis pro-
cedatur.

TIT. IX. Naut. Caupon. Stabul. ut rec.
restet.

Ad L. 3. §. 1. Cum tempore excludamur unicum saltem ex h.
§. mihi noto, nautas nempe, caupones & stabularios levissimam
*etiam culpam præstare teneri. *Dn. Struv. Ex 8. th. iii. Wisenbrch. b.**
1. tb. 25. Ratio est cum quod rerum harum causa quasi publica
*sit *arg nr. §. Scotan. h. t. quæst. Quæ culpa &c. cum quod exercitor**
*res suo periculo recipiat *L. fin. pr. h. t. & ipso facto, quo recipit vide-**
atur profiteri, navem, cauponam, stabulum idonea esse quibus res
*tuto credantur *L. 1. inf. b. t. Zoësius eod. n. 2. Unde ex quasi con-**
*tractu hæc actio oritur *vid. L. 1. §. 23. 6 LL. seqq. b. t. Struv. cit. Ex. 8.**
tb. 168. Id quod ex eo capite, quod custodiæ causa ejusmodi ex-
ercitores mercedem accipiant nullam, disputari non debet. Nam
& fullo ac sarcinator custodiæ nomine ex locato tenentur, quam-
*vis haud pro custodia, sed pro arte mercedem accipiant *L. 5. pr. b.**
*1. confer. *Carpzov. p. 2. C. 26. D. 10. ubi secundum hanc L. ad-**
huc hodiè pronunciari, præ Judiciis
comprobat.

SOLI DEO GLORIA.



94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle

3


002 381 974



sb.

7360





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

PRIMA

.Libro-

ectiores quas.

MAGNIFICO

ne,

ac Consultissimo,

STRAUSSIO,

oralis, quæ hic est,

rio,

romotore etatem

mittit,

S de ROHR,

rum,

M.DC. LXXI.

E,

METERI.

